DE·PARTICVLA
EX. PRETIOSO. ET. VIVIFICO. LIGNO
SACRATISSIMÆ. CRVCIS
SALVATORIS·IESV·CHRISTI
DESVMPTA
SACRIS. IMAGINIBVS. ET. ELOGIIS
eodem Ligno inciſis inſignita,

Et in Apoſtolico Sacrario aſſeruata
Commentarius,

A F. Angelo Rocca Camerte, Auguſtiniano, Epiſc. Tagaſtenſi, & Apoſtolici Sacrarij Præfecto conſcriptus.



ROMAE
Apud Guillelmum Facciottum MDC.IX.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

SANCTISSIMO . PATRI
ET . D.N.

PAVLO QVINTO
PONT. MAX.

PARTICVLAM Ligni ſacratiſsimæ Crucis (B^{me} Pater) ſacris Imaginibus, & Elogiis inſignitam, & in Apoſtolico Sacrario aſſeruatam, Commentario illuſtrandam, typiſque promulgandam curaui pluribus ſanè de cauſis in eo enarratis, præſertim verò propter Crucifixionis Dominicæ Imaginem,

8. 43 C 18

quattuor clauis tamquam pro
priam, & veram in eodem Li-
gno repræſentatam. Id quod
tam Picturis, ac Muſiuis, Scul
pturiſq. antiquiſsimis, quàm
Scriptorùm antiquorum, &
recentiorũ ſententiis, & ratio-
nibus ipſis cõprobatur. Ego
itaque Commentarium à me
conſcriptum, ac typis manda-
tum, ad Sanctitatis Tuæ pe-
des humillimè prouolutus,
Beatitudini tuæ offero; immo,
vt ſtellionatus crimen effugiã,
B. Briſſ. de verb ſign. lib. 17.
reddo, & iure quidem. Is enim

(qua-

(qualiſcumque ſit) Tui Nominis Maieſtati omnino debetur; quippe qui, intra domeſticos Beatitudinis Tuæ parietes elucubratus, inſignem Sacratiſsimæ Crucis Particulam in Apoſtolico Sacrario aſſeruatam comprehendit. Accipe igitur (Beatiſsime Pater) hanc qualemcumque Elucubrationem è pauperculo ingenii mei ſcrinio depromptam: magis enim propenſa offerentis voluntas, quàm rei oblatæ pretiū (quod ad meam pertinet in-

du-

duſtriam) perpendi debet iuxta luculentiſsimum Exemplum pauperculæ illius Euangelicæ, viduæ, quæ vno tantum quadrante, nummulo ſcilicet æneo, ampla Diuitum dona longè ſuperaſſe Chriſti Domini voce cōmemoratur. Ego autem Deum omnium bonorum Fontē vberrimum, & benigniſsimum Largitorem ſuppliciter oro, & orabo ſemper, vt ad vniuerſæ Eccleſiæ Sanctæ Dignitatem tuendam, & exornandam Te incolumem, ac fe-

Marc. 12. Luc. 21.

licem

licem reddat, diuq. conſeruet. Romæ in Apoſtolico Sacrario Die XXV. Martii, Annunciationi Deiparæ Mariæ ſemper Virginis conſecrato. M. DC. IX.

Sanctitatis tuæ

Humillimus ſeruus, eidemque deuinctiſſimus

Fr. Angelus Rocca Camers, Epiſcopus Tagaſtenſis, & Apoſtolici Sacrarij Præfectus.

Imprimatur, ſi videbitur R. P. M. Sac. Pal. Apoſt.
Caſar Fidelis Viceſg.

Ego Raphael Epiſcopus Zacynthi, & Cephalleniæ, perlegi opuſculum de Particula S. Crucis Reuerendiſſ. Epiſcopi Tagaſtenſis, nihilq. in eo inueni diſſentiens à Fide Catholica, & bonis moribus contrarium, exiſtimoque vtiliter edi poſſe, ita iubente Reuerendiſſimo P. M. Sacri Palatii Apoſtolici.

Imprimatur.

Fr. Ludouicus Yſtella Magiſter Sac. Palatij Apoſt.

Auctores in Commentario citati.

A

S.P. AVGVSTINVS., Doctor Eccleſiæ.
Ado Viennenſis Archiepiſcopus, & Chroniſta.
Aeneas Siluius.
Albo Floriacenſis, Abbas Benedictinus
Alphonſus Palæotus Archiepiſcopus Bononienſis
Alphonſus Toſtatus.
Alphonſus Ciacconius
Anaſtaſius Bibliothecarius

B

S. BAſilius Magnus
Bartholomęus, vel Baptiſta Platina
Bartholomæus Medina
Bartholomæus Riccius Fidardenſis
Beda Venerabilis, Monachus Benedictinus
S. Bernardus
S. Brigitta Vidua
B. Briſſonius Iuriſconſultus

C

S. CYprianus Epiſcopus & Martyr
Cęſar Baronius S.R.E. Cardinalis
Conſaluus Duranius Epiſcopus Feltrenſis
Cornelius Ianſenius
Cyrillus, Slauorum Epiſcopus

E

EVcherius Epiſcopus Lugdunēſis
Euſebius Cæſarienſis
Eutropius Monachus

F

FLauius Ioſephus Iudæus
Franciſcus Toletus S. R. E. Cardinalis

G

GLoſſa ordinaria, & interlinearis
S. Gregorius Magnus, Doctor Eccleſię
S. Gregorius Nazianzenus
B. Gregorius Nyſſenus
S. Gregorius Thaumaturgus
Gregorius Turonenſis
Guillelmus Lindanus

H

S. HIeronymus Doctor Eccleſiæ

I

S. IOannes Chryſoſtomus
Ioannes Papa huius nominis VIII
Innocentius Papa huius nominis III
Ioannes Diaconus
Ioannes Zonaras
Ioannes Tritthemius, Abbas Ordinis S. Benedicti
Ioannes Cantacuzenus
Ioannes Iuſtus Lanſpergius
Ioannes Genuenſis
Iacobus Gretſerus
Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis
Iuſtus Lipſius

K

KArolus Sigonius

L

S. LEo Papa, huius nominis primus
Lentuli Epiſtola
Luitprandus Ticinenſis Diaconus

M

MArcus Tullius Cicero
Marius Nizolius
Matthias Michouienſis

N

NIcephorus Callixtus
Nicolaus Lyranus
Nonnus Poeta Panopolitanus

O

ONuphrius Panuinius

P

PApias Natione Lombardus
Paulus Manutius
Pomponius Mela

R

RVfinus Presbyter Aquileienſis
Rupertus Tuitienſis

S

SIgebertus Gemblacenſis, Monachus Benedictinus
Sigiſmundus Liber, Hiſtoricus
Sophronius ſcriptor Græcus.

T

THeodoretus Epiſcopus Cyri
Teſtamentum vetus, & nouum


V

VAſæus Hiſtoricus
Vniuerſitas Complutenſis
Viuardus Monachus



Imago Crucifixi cedrino ligno à Nicodemo
ex * Phariſæis homine, & ex Principibus Iu- *10.3. & Gloſſ. interlin.
dæorum vno, * Diſcipuloque Chriſti Domini *Nic.Ly. in cap 19. Ioann.
ante Paſſionem occulto, inciſa,
& Lucæ aſſeruata.

Digitized by Google



Imago Crucifixi cedrino item ligno à S. Luca Euangeliſta, & * indiuiduo S. Pauli omnis peregrinationis Comite, inciſa, & Siroli prope Anconam aſſeruata.

* S. Hier. de vir ill. & Lyr. in 2 epiſt. ad Timoth. 4

Digitized by Google


Digitized by Google



Imago Crucifixi tempore Ioannis Papę VII. opere muſiuo ſupra Portam Sanctam, ad interiorem veteris Baſilicæ Sancti Petri partem, olim repræſentata circa Annum Dom.
DCC.VI.

Digitized by Google

Digitized by Google



Imago Crucifixi argentea in Sacrario Baſilicæ S. Petri aſſeruata, quam Karolus Magnus Imperator, à Leone III. Pont. Max. Romæ coronatus, eidem Baſilicæ dono dedit, circa Annum Dom. DCCC.XV.

DE

DE · PARTICVLA
EX· PRETIOSO· ET· VIVIFICO. LIGNO
SACRATISSIMÆ . CRVCIS
SALVATORIS · IESV · CHRISTI
DESVMPTA

SACRIS . IMAGINIBVS & Elogijs eodem Ligno inciſis inſignita,

Et in Apoſtolico Sacrario aſſeruata Commentarius;

A Fratre Angelo Rocca Camerte, Auguſtiniano, Epiſcopo Tagaſtenſi, & Apoſtolici Sacrarij Præfecto Conſcriptus.

DE Particula ex pretioſo, & viuifico Ligno ſacratiſsimae Crucis Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti deſumpta nos verba facturi, de ipſius primum Particulæ antiquitate, atque inuentione loquemur, luculentiſſimis in hanc rem teſtimonijs adhibitis, & in medium allatis; Deinde cuiuſnam Arboris fuerit Lignum ſanctiſſimæ Crucis, opiniones diuerſorum Scri-

Res propoſitæ declarandę.

Digitized by Google

ptorum, rationibus eorundem recitatis, oſtendemus.

Tertio Imagines, & litteras in eadem Ligni Particula inciſas declarabimus;

Quarto denique Crucifixionem Dominicam quattuor clauis tamquã propriam, ac verã demonſtrabimus fuiſſe repraeſentatam in hac Ligni Particula, quam prae manibus habemus.

CAPVT I.

De Particulæ ſanctiſſimæ Crucis antiquitate, ac inuentione.

BEDA, vir in diuinis Scripturis ſtudioſiſſimus, & valde eruditus, atque in ſecularibus litteris peritiſſimus, Philoſophus, Aſtronomus, Calculator, & Poeta inſignis, Græciq. ſermonis, vt ait Tritthemius, non ignarus, in Martyrologio, Die 9. Septembris, & fuſius in libro de ſex Aetatibus Mundi, Anno Mundi 4652. de hac ſanctiſſimæ Crucis Portione in hanc loquitur verborum formam: *Papa Sergius in Sacrario Beati Petri Apoſtoli capſam argenteam, quæ in angulo obſcuriſſimo diutiſſime iacuerat, & in ea Crucem diuerſis, ac pretioſis lapidibus adornatam, Domino reuelante, reperit: de qua tractis quattuor peta-*

Beda To. 2. & 3.

Primum quæſitum

lis,

lis, quibus gemmæ incluſæ erant, miræ magnitudinis portionem Ligni ſalutiferi Dominicæ Crucis interius repoſitam inſpexit; quæ ex tempore illo annis omnibus in Baſilica Saluatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, die exaltationis eius ab omni oſculatur, atque adoratur Populo. Hæc Beda, qui Sergij Papę, huius nominis primi, contemporaneus fuit. Is enim Sergius circa Annum Domini 690. in ſuo vixit Pontificatu, obijt autem Anno Domini 701. Beda vero ex hac vita deceſſit Anno Do. 732. Anno ætatis ſuæ 72. ſub Flauio Leone Imperatore, & Gregorio III. Pontifice Maximo. Iſtuc ipſum Anaſtaſius Bibliothecarius Apoſtolicus in Scripturis diuinis eruditus, & in ſecularibus item litteris inſigniter doctus, Græca, & Latina lingua admodum peritus, in eiuſdem Sergij vita de hac etiã Ligni ſanctiſſimæ Crucis portione ſub ijſdem fere verbis ita ſcriptum reliquit: *Hic Beatiſſimus Vir in Sacrario Beati Petri Apoſtoli capſam argenteam in angulo obſcuriſſimo iacentem, & ex nigredine tranſactæ annoſitatis, nec ſi eſſet argentea, apparentem, Deo ei reuelante, reperit. Oratione itaque facta, ſigillum expreſſum abſtulit, locellum aperuit, in quo interius plumacium ex holoſerico ſuperpoſitum, quod ſtauracis dicitur, inuenit; eoque ablato, inferius Crucem diuerſis, ac pretioſis lapidibus perornatam inſpexit, de qua tractis quattuor petalis, in quibus gem-*

Portio Dominicæ Crucis miræ magnitudinis.

Beda Sergij contemporaneus Anno D. 690.

Anaſt. Biblioth in vit. Sergij

Dominicæ Crucis portio ineffabilis.

mæ clauſæ erant miræ magnitudinis, & ineffabilẽ portionem ſalutaris Ligni Dominicæ Crucis inuenit. Quæ etiã ex die illo pro ſalute humani generis ab omni Populo Chriſtiano Die exaltationis Sanctæ Crucis in Baſilica Saluatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, oſculatur, & adoratur. Hæc Bibliothecarius. Iſtuc denique ipſum ex Beda, vel ex Bibliothecario ijſdem fere verbis deſumptum Luitprandus Ticinenſis, Albo Floriacenſis, & Ado Viennenſis in chronicis in eiuſdẽ Sergij vita; Necnon Vſuardus in Martyrologio, Die 9. Sept. Ciacconius c. 34. in lib. de Signis ſanctiſſimæ Crucis ſcriptum reliquerunt; & omnes ferè mentionem fecerunt de quattuor petalis aureis, quæ non ſunt niſi laminæ. Petalum enim, breui ſecunda ſyllaba, πέταλον, vox Græca eſt, quæ apud Latinos lamina dicitur. Hinc Ioſephus in lib. 8. Iudaicarum antiquitatum cap. 2. dum de Tẽpli Hieroſolymorum loquitur pauimento, vtitur hac voce. In textu autem Latino in hunc legitur modum: *Pauimentum etiam Tẽpli conſtrauit laminis aureis*. Ruffinus vero hunc locum ita vertit: *Strauit pauimentum Templi petalis aureis*. Quare per petala illa aurea nonniſi laminæ aureę intelligendae ſunt.

Luitprandus. Albo flor. & Ado A. C. 696. Vſuardus, & Alfon. Ciacc.

Ioſephus

Ruffinus

Quòd autem commemorati Scriptores de hac ſanctiſſimae Crucis Ligni portione, quam

prae

prae manibus habemus, non de alia ſermonem habuerint, ſatis profectò conſtat ex inſigni teſtimonio Onuphrij Panuinij (Paulo Manutio teſte) antiquitatum heluonis, qui in libello de ſeptem Vrbis Eccleſijs prope finem Baſilicae Lateranenſis ad eum locum, in quo agitur de Oratorio, quod Sācta Sanctorum nuncupatur, de hac Ligni ſanctiſſimæ Crucis portione ita inquit: *Inter ceteras reliquias pretioſiſſimas, & certiſſimas aliquando fuit ibi pars ligni ſanctiſſimæ Crucis, cuius meminit Beda in libro de ſex ætatibus Mundi, Anno Mundi 4652.* &c. vbi omnia, quae de hac Hiſtoria ſcripſit Beda, ad verbum recitat Panuinius, deinde poſt cetera verba nuper ex Beda, & Bibliothecario à nobis recitata, ad huiuſce rei propoſitae confirmandam ita ſcribit: *Hanc Ligni ſanctiſſimi portionem excidio Vrbis ſub Clemente VII. à militibus aliquot, theca argentea direpta, ablatam, Pontifex prodigioſe, & non ſine ope diuina recuperauit; & aurea, criſtallinaq. Cruce incluſam, in Palatio Vaticano, vbi eſt Sacriſtia Pontificia, ſeruari iuſſit.* Haec Panuinius ad verbum, nec non Alfonſus Ciacconius de ipſa ſanctiſſimae Crucis portione, quae tanta eſt, quanta in huiuſce libri fronte cernitur repraeſentata: circino enim vndequaque fuit commenſurata; cuius craſſitudo, vel profunditas, vt infra videre licet, latitudi-

Paulus Manut. Epiſt. lib 2. Ep. 9. Panuin. antiquit. tum helluo.

Pag. 188

Onuphr. Panuin. Alfonſus Ciaccon. in libello de ſignis ſanctiſs. Crucis, & alii.

Particula Crucis quantitas.

nem indicis, qui eſt digitus, pollici manus proximus, oſtendit. Hæc autem Crucis Particula circumligata eſt intra argenteam, & auratam quamdam zonam, ſiue faſciolam, aut lamellam, in qua Graecae litterae, ſiue voces, in hanc grandiorem inciſae leguntur formam:

✠ΜΕΡΙΔΙΟΝ·ΕΚ·ΤΟΥ·ΤΙΜΙΟΥ·
ΚΑΙ·ΖΩΟΠΟΙΟΥ·ΞΥΛΟΥ
ΤΟΥ·ΣΩΤΗΡΟΣ·ΙΥ͠·ΧΥ͠·

Hoc eſt

Particula ex pretioſo, & viuifico Ligno Saluatoris Ieſu Chriſti.

Figura, quæ infra cernitur, delineata, eſt latitudo zonae, ſiue faſciolae, aut lamellae argẽteae, atque auratae, quae circumcingit ſanctisſimae Crucis Particulã, eiuſq. craſsitudinem, vel profunditatem repraeſentat, necnon litteras, vel voces Graecas in eadem faſciola, ſiue lamella inciſas comprehendit.

Latitudo Lamellæ.



Quiſnam

Quiſnam verò hanc Dominicae Crucis Particulam ſacris Iconibus, characteribuſque, aut litteris Græcis, ac Ruthenicis, vel Seruianis inſignitam, & Romam, & ad quemnam Romanũ Pontificem miſerit, certò haud quaquam ſcire potui; eam tamen à Gręco forſan viro, Ruthenicę aut Seruianæ linguæ non ignaro ad ſanctũ Leonem Papam, huius nominis primum, miſſam fuiſſe, coniecturam facio, ex Epiſtola dicti Leonis ad Iuuenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum ſcripta perſuaſus. Nam ad eiuſdem Epiſtolæ calcem hæc Leo ipſi Iuuenali, & breuiſſime quidem, ſcripſiſſe inuenitur dicens: *Particulam Dominicæ Crucis cum Eulogijs dilectionis veſtræ venerãter accepi.* Hucuſque Leo, qui floruit circa annum Dom. 450. ante Sergium trecentos circiter annos. Sergius enim vixit circa annum Do. 690. Idcirco ex trium ferè centuriarum, vt ita dixerim, interuallo, quod inter Leonem, & Sergium interceſſit, dicta ſacratisſimæ Crucis Particula antiquisſima eſſe comprobatur, ſatiſque belle illuſtrantur verba Bibliothecarij dicentis: *Beatiſſimus Sergius in Sacrario Beati Petri Apoſtoli capſam argenteam in angulo obſcuriſſimo iacentem, & ex nigredine tranſactæ annoſitatis, nec ſi eſſet argentea, apparentem, Deo ei reuelante, reperit.* Hæc Anaſtaſius Bibliothecarius de capſa argentea,

S. Leo Epiſt. 78. To. 1. p. 2. pag. 249.

S. Leo I. Anno D. 450.

Sergius I. Anno D. 690.

Anaſt. Biblioth.

in

in qua Dominicæ Crucis aſſeruabatur Particula, quæ quamuis a Beda miræ magnitudinis, & à Bibliothecario ineffabilis Portio nuncupetur, quãtitas tamen ipſa, hoc loco à nobis repræſentata, verbis non refragatur Panuinij, qui ait Portionem miræ magnitudinis à Beda ſuperius commemoratam, eſſe illam, quæ nunc in Apoſtolico Sacrario intra cryſtallinam Crucem aſſeruatur. Nam dicta quantitas inter alias Dominicæ Crucis portiones, quæ diuerſis in locis aſſeruantur, comparata, miræ magnitudinis dicenda eſſe cenſetur. Adde etiam quòd nec in Baſilica Saluatoris in Laterano, quæ etiã Conſtantiniana nuncupatur; nec in Baſilica ſanctæ Crucis in Hieruſalem, nec alibi tanta Dominicæ Crucis portio inuenitur, quanta erat illa à Sergio Papa eò translata, quæ nunc in Apoſtolico Sacrario aſſeruatur. Nam ſupra Abſidem primariam Baſilicæ ſanctæ Crucis in Hieruſalem extat Oratorium, in quo inter alias pretioſas Reliquias aſſeruantur tres Particulæ ſanctiſſimæ crucis. Pars Tituli Dominicę Crucis maior, cum Hebraicis litteris, Græcis, ac Latinis ligno inciſis, quæ omnes Hebraico more, à dextra ſcilicet ad ſiniſtrã leguntur, hoc eſt, *IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.* Sed prima, & vltima dictio deſiderantur, ligno

ipſo fracto, ac deficiente ob tantam vetuſtatẽ. Extant ibi etiã duę Spinę illius coronae Chriſti Domini Cruci affixi. Vnus item ex triginta argenteis,quibus fuit venditus; necnon vnus ex clauis, quibus Cruci fuit affixus. Quę omnia nõ ſemel veneranter vidi, miroque animi mei ſolatio contrectaui. Tres vero illae Particulae, vt ipſa traditio docet,deſumptae ſunt ex tertia illa Dominicae Crucis parte, quam Helena Magni Coſtantini Mater miſit Romam ad Baſilicam ſanctae Crucis in Hieruſalem. Helena enim,quae Dominicam Crucem inuenit,vnam Partem Hieroſolymae reliquit; Alteram Conſtantinopolim ad Conſtantinum miſit Filium; Tertiam autem Romam, ad dictam miſit Baſilicam, in qua praeſens in tempus nonniſi tres illę ſuperſunt particulę, quas Onuphrius Panuinius in libro de ſeptem Eccleſijs Vrbis Romę in reliquijs eiuſdem Baſilicae recenſendis tres fruſtulas appellat, paruas videlicet Particulas. Particula vero in Apoſtolico Sacrario aſſeruata quantum ad longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ſiue craſſitudinem,dictarum trium Particularum quamlibet omnino cernitur ſuperare.

Reliquiæ in Baſilica S.Crucis in Hierusalem.

Panuin. de Baſil. S. Crucis in Hier.

Quòd autem pretioſiſſimae Crucis Particula ad Sanctum Leonem primum à Iuuenale

Hieroſolymitano Epiſcopo miſſa, ea ſit, quae nunc prae manibus habetur, & in Apoſtolico Sacrario aſſeruatur, per eulogia in quarto caſu pluralis numeri cum Dominicae Crucis Particula à Iuuenale miſſa ad Leonem, ſatis congruenter probatur: Eulogium enim, ſiue Elogiũ vox Graeca eſt, quae Latine, inter alias ſignificationes, vt Ioannes Genuenſis in ſua ſumma catholica inquit, Laus electa, vel ſummatim collecta Latinè interpretatur, à verbo Graeco, εὐλογέω dicta; quod eſt benedicere, laudare, aut honorifice aliqua de re loqui, ſiue prędicare, aut celebrare: quorum verborum ſenſus comprehenditur in breuisſimis illis Inſcriptionibus, quae in Dominicae Crucis Particula cum ſacris Iconibus inciſæ leguntur, ac tertio loco explicandae a nobis propoſitae ſunt. Adde etiam, quòd Sanctus Leo Papa particulam Dominicæ Crucis cum eulogijs veneranter ſe accepiſſe fatetur: quæ profectò: *Eulogia*, in recto pluralis numeri, ſeu *Elogia*, pro laudibus desũpta, ſi nõ eſſent illa, quę in Particula Dominicæ Crucis circa Imagines extãt inciſa, ea venerãter ſe accepiſſe nõ dixiſſet, ne rebus nõ ſacris venerationẽ præſtare videretur. Sed eulogias, pro munificẽtia, vel pro munerib⁹, & id genus alijs rebus non ſacris desũptas, ab ipſa Dominicae

Eulogia quid.

Io. Gen. in Dict. Catholicon dicto

Cru-

Crucis Particula ſeiūctas ſeparatim nominaſſet. Si autē pro illa voce, *Eulogijs*, in ſexto pluralis numeri caſu pronūciata, Eulogiæ pro ſacris muneribus, ex charitatis, ac venerationis affectu miſſis hoc in loco ſumerentur, vt etiam ſonat vox ipſa Graeca, εὐλογία, Eulogia; ſanctus Leo abſolute dixiſſet: *Eulogias dilectionis veſtræ veneranter accepi*, vt inter Eulogias, ideſt, ſacra dona, illam quoque Dominicae Crucis cōprehenderet Particulam, quae erat item donum. Vel dixiſſet: *Particulā Dominicæ Crucis cum alijs Eulogijs dilectionis veſtræ veneranter accepi*: addidiſſet enim illam dictionem, *alijs*, vt Particulam Dominicae Crucis Eulogiam eſſe, hoc eſt, munus, charitatis, & venerationis affectu miſſum, oſtenderet. Eulogia itaque illa, de quibus nunc ſermo habetur, nō pro muneribus, aut eleemoſynis, quae dicūtur Eulogiae; ſed pro laudibus, aut inſcriptionibus, vel benedictionibus, quae Latinè dicuntur Elogia, ſacris Imaginibus in ipſa Dominicę Crucis Particula inciſa leguntur, accipienda cenſentur: Nam benedictiones pro laudibus frequētiſſime in Scriptura ſacra ſumi ſolent iuxta illam Apocalypſeos Auctoritatem: *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio*, &c. quo in loco vox illa, *Benedictio*, à Gloſſa Ordinaria, & à Lyrano interpretatur,

Eulogia quid.

Apoc. 7.

Gl. Ord. & Lyran.

Laus, Græce autem εὐλογία, Eulogia dicitur. Graecus enim textus, ita ibidem legitur: ἡ εὐλογία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ σοφία, καὶ ἡ εὐχαριστία. Hinc in multis item Scripturæ ſacrae locis, iuxta Græcum textum legitur modo εὐλογημένος, modo εὐλογητός, ideſt, *Benedictus*, vel *Laudatus*. Quæ ſane loca breuitatis gratia, cum ſint multa, ſilentio videntur prætermittenda.

Matt. 21. Marc. ij Luc. 1. Io. 12. Ephes. 1.

Adde etiam quòd ex illa voce, *Eulogijs*, in ſexto pluralis numeri caſu, non magis Eulogia in ſingulari numero, quàm Eulogium ſumi poſſe cenſetur. Eulogium autem citra omnem dubitationem nonniſi pro dicto ſententioſo, ac breui; necnon pro teſtificatione de aliquo honoris præſertim, vel vituperationis cauſa ſuſcipitur, vt omnes fatentur; hinc in plurali etiam numero Eulogia dicuntur Laudes electæ, ac ſummatim collectæ, veluti ſunt illæ in alicuius Imagine Laudes conſcriptae, quæ à nobis, *Elogia*, dicuntur: à Latinis enim pro, *Eulogio, Elogium* dici ſolet, vt apud Ciceronem pluribus in locis, necnon apud alios Latinos Auctores videre licet. Vſus eſt item hac voce Sanctus P. Auguſtinus in ſermone de Beata Maria ſemper virgine dicens: *Præciſum eſt in ea illud Euæ infelicitatis Elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos, quia iſta in lætitia Dominum peperit*. Hæc S. P. Au-

Eulogiũ quid ſit.

Nizol. in theſ. & Dict. Papias in Dict. Io. Gen. in Catho. & alii.

S. Aug. ſerm. 18. de Sanctis quæ eſt 2. de Annun. To. 10. Ex Breu. in Natiu. B. Mariæ

gu-

guſtinus,quaſi dixerit: *Elogium doloris,ac triſtitiæ, in Elogium lætitiæ mutatum eſt*, quod ſcilicet Elogium lætitiae nonniſi in Beatae Mariae ſemper Virginis laudẽ ſumi poteſt, ac debet. Propterea libri illi, in quibus hominum inſignium teſtificationes,vel laudes narrantur, Elogia virorum illuſtrium vocitantur, ita inſcripti. Per Eulogia igitur, vel Elogia cũ particula Dominicae Crucis a Iuuenale Epiſcopo ad Leonem Papam, huius nominis primum, miſſa, Laudes electae, vel ſummatim collectae in ipſamet Dominicæ Crucis Particula inciſae intelligendae cenſentur; quae ſane Laudes cum ipſis Imaginibus infra ſuo loco explicabuntur.

Quamuis autem Ruthenorum Chriſtianitatem circa annum Domini nongenteſimum nonageſimum cœpiſſe, nonnulli ſcribant; non deſunt tamen qui eorundem conuerſionem multo antiquiorem fuiſſe affirment, atque ita eſſe contendant; quorum è numero eſt Matthias Michouienſis. Is enim in lib. 2. cap. 1. & alibi de rerum Polonicarum antiquitate ſcribens ita inquit: *Ruſſi* (hoc eſt Rutheni) *Inter Sãctos colunt plus Thaddæum Apoſtolũ, aſſerentes, quòd eos conuerterit, & fidem Chriſti docuerit; deinde Bartholomæum ſanctum Dei Apoſtolum venerantur, per quem multos Articulos, vt ipſi aſſerunt, de Fide ac-* Matth. Michou. Rutheni à S. Thad. Apoſt. cõuerſi.

cœperunt: Haec Matthias Micouienſis dicto in loco ex traditione Populi accepta, & alibi de Ruthenorum conuerſionis antiquitate. Quae ſane omnia, & multò plura in hanc ſententiam refert S. R. E. Cardinalis Baronius in appendice ad ſeptimum Annalium Tomum de Ruthenis ad communionem ſedis Apoſtolicae à Clemente VIII. receptis, vbi dictam Ruthenorum conuerſionis antiquitatem, à Matthia Michouienſi enarratam, laudat hiſce verbis: *Cui* (ſcilicet Matthiæ) *magis aſſentior, quàm ijs, qui Ruthenorum Chriſtianitatem cœpiſſe tradunt circa Annum Domini nongenteſimum nonageſimum, quos errare omnino, proxime dicturi ſumus.* Hæc Baronius. Huius generis antiquitati, quam de Ruthenorum conuerſione Michouienſis narrat, adſimile ſcriptum reliquit Sigiſmundus Liber in rerum Moſcouitarum commentarijs in hanc verborum formam: *Rutheni in Annalibus ſuis aperte gloriantur, ante Vuolodimerũ, & Olbã,* (quã primã inter Ruthenos Chriſtianã fuiſſe aiũt) *Terrã Ruſſiæ* (vnde Ruſſi, Ruſſeni, & Rutheni vocitãtur) *eſſe baptizatam, & benedictam ab Andrea Chriſti Apoſtolo, quem ex Græcia ad oſtia Boryſthenis veniſſe affirmant; & aduerſo flumine ad montes, vbi nunc Chiouuia eſt, nauigaſſe, atque ibi omnem terram benedixiſſe, & baptizaſſe, Crucem ſuam illic collocaſſe, prædixiſſeque magnam ibi*

Rutheni à Clem. VII. accepti.

Card. Baronius. Tom. 7. pag. 679.

Sigiſmundus Liber

Rutheni à S. Andr. Apoſt. baptizati.

Crux S. Andreæ.

Dei gratiam, multaſque Eccleſias Chriſtianorum futuras. Hæc Sigiſmundus Liber. Tanta itaque Chriſtianæ Religionis inter Ruthenos antiquitate comprobata, vſus Ruthenicæ linguæ cum Græca coniunctus, & in re tam ſacra adhibitus, nullam aut admirationem, aut dubitationem admittere valet. Facile namque credi poteſt, ac debet, vt quiſpiam homo Græcam, & Ruthenicam Linguam callens, præſertim vero, vt iam probatum eſt, ipſe Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus, qui dictã Crucis Particulam ad Leonem primum miſit, Græcos, & Ruthenicos characteres in eadem Crucis Portione incidendas curarit, ſi verba Leonis primi recte penſitentur, dicentis: *Particulam Dominicæ Crucis cum Eulogijs dilectionis veſtræ veneranter accepi:* Adde etiam quod inter Græcos, & Ruthenos magna intercedit conſuetudo; immo Rutheni more ac ritu Græco viuunt, & Ruthenici characteres inſtar Hebraicarum litterarũ myſterijs pleni, à Ruſſia, & à Seruia, necnon à Bulgaria, Vallachia, & Moldauia Daciæ partibus; à Boſina item, & Moſcouia, atque ab alijs Gentibus ad Orientalem plagã pertinẽtibus, adhibentur, maioriq. ex parte à Græco fonte deſumptæ cernũtur; Lingua vero eorum omniũ à Græco Idiomate diuerſa.

Iuuenalis Epiſcop. Hieroſolym.

Rutheni more ac ritu Græco viuunt.

Charact. Ruth. aut Seruian. præſtãtia & vſus.

Quan-

Quamuis interea Alphabetum Ruthenicũ, vel Seruianũ à nonnullis Cyrillo Sclauorũ Epiſcopo, tãquã inuentori, qui vixit circa An. Do. DCCC. LXXVI. adſcribatur; nõ deſunt tamen qui dictũ Alphabetũ antiquius eſſe, Cyrillumq. ipſius Alphabeti nõ inuentorẽ, ſed cultorem, vel inſtauratorem fuiſſe velint, ſicut de Alphabeto Illyrico, ſiue Sclauonico à S. Hieronymo factum eſſe diximus in Libro noſtro, qui Bibliotheca Vaticana inſcribitur. Nam etſi Sclauonicos characteres à Sãcto Hieronymo inuentos fuiſſe paſſim dicunt, Ioannes tamen VIII. in Epiſtola ad Sfentopulchrum Comitem, eos à Conſtantino quodam Philoſopho inuentos fuiſſe narrat, vt in noſtra Bibliotheca Vaticana videre licet. Quoniam vero Sanctus Hieronymus Scripturam ſacram in Linguam Sclauonicam, & Cyrillus in Ruthenicam, vel Seruianam tranſtuliſſe cenſentur; propterea dictarum Linguarum characterum fuiſſe inuentores fortaſſe dicuntur; Immo Cyrillus à Sede Apoſtolica tẽpore Ioannis VIII. primus impetrauit, vt in Dalmatia illius Prouinciæ Idiomate Diuinum officium recitare, ac rem Diuinam facere liceret, vt Aeneas Siluius teſtatur in Bohemiæ Hiſtoria, & videre eſt in Regiſtro MS. Vaticano, in Epiſtola Ioannis

Bibl. Vat. pag. 168.

Pag. 163.

Pag. 316.

Cap. 13. inſ.

VIII.

VIII. ad Sfentopulchrum Comitem miſſa, quam in dicta noſtra Bibliotheca Vaticana deſcripſimus, & imprimendam olim curauimus. Res autem vtcumque ſeſe habeat, hanc tamen Dominicę Crucis Particulam omnino antiquã, & plures ob cauſas celeberrimam eſſe conſtat. Hæc de Particulae Dominicae Crucis antiquitate.

CAPVT II.

Crucis Lignum quanam ex Arbore fuerit.

PRIMA re initio propoſita ſatis explicata, ſecundã aggrediemur. Qua in re tractanda, & breuiſſimè quidem perſcrutabimur, quanam ex Arbore fuerit Sanctiſſimæ Crucis lignum: variae nãque ſunt, & incertae Scriptorum opiniones. Sunt qui ex quattuor lignis, alij ex tribus, alij vero ex vno ligno Dominicã Crucẽ factã fuiſſe velint. Beda in collectaneis, & Ioannes Cantacuzenus in Aſſertione cõtra Mahomettũ ex Cupreſſo, Cedro, Pino, & Buxo Crucem Domini compactam fuiſſe ſcribunt: differunt autem inter ſe quantum ad lignorum ſitum iuxta quattuor lignorum fruſta, quae, vt ait Innocentius in ſermone de vno Martyre,

Secundũ quæſitum

Beda to. 1

Cantacu.

Quattuor lignorum ſpecies.

Innocent. ſerm. de Marty.

Crux ex quattuor lignorum fruſtis.

Quattuor lignorum ſpecies.

Lipſ.li.3 c.13. de Cruce.

quattuor fuerunt, ſtipes videlicet erectus, lignum tranſuerſum; truncus ſuppoſitus, in quo ſcilicet ſuſtentātur, vel affiguntur pedes; & titulus ſuperpoſitus. Sunt etiã qui ex Cedro, Palma, Cupreſſo, & Oliua Sanctiſſimam Crucem factam velint: ſed hanc lignorum varietatem, aut diuerſitatem hac in re magis curioſam, quàm veram eſſe cum Lipſio arbitror: ex obuio enim, & prompto aliquo ligno, & robuſto quidem ad corporis pondus perferendum, aut ſuſtentandum apto, Crucem ipſam fuiſſe crediderim cum eodem Lipſio, qui eam è quercu, tamquam crebra, & frequenti olim, & nunc in Iudęa; robuſta item, & fixioni, laturęque apta, factam fuiſſe cenſet. Huius generis videtur eſſe ſanctiſſimæ Crucis Particula, quæ nunc præ manibus habetur, & in Apoſtolico Sacrario aſſeruatur. Nã meatus lignei, aut venæ ligneæ, necnõ color cinericius, vulgo berettinus vocitatus, at propter tantam ligni vetuſtatem obſcurus, & ad nigredinem accedens, id ita eſſe præſeferunt, iudicio peritorum hominum tam in arte Pictoria, quàm Lignaria.

Hæc de Ligni ſanctiſſimæ Crucis nomine, aut ſpecie, vt imagines in hac ſacratiſſimæ Crucis portione repręſentatas, compendiarijſque e Ruthenorum, vel Seruianorum Notis (quas

vulgò breuiaturas appellant) ad nomina earumdem Imaginum declaranda inſignitas, ac tertio à nobis loco propoſitas explicemus, proprijsq. nominibus nuncupemus. Notæ cōpendiariæ quid.

CAPVT III.

De Imaginibus, & Characteribus in Crucis particula inciſis.

SECVNDA igitur re initio propoſita, breuiter, ſed ſatis conuenienter enucleata, tertiam rem, ſacras videlicet Imagines in ipſomet Sanctiſſimæ Crucis ligno inciſas enarrabimus, & vnamquamque ſingulo quoque indigitabimus loco, quaſi videlicet digito, & quidē nominatim oſtendemus hunc in modum: Sanctiſſimi Ligni Particula Imaginem, aut formam Sanctiſſimæ Crucis repræſentare cernitur. Ad eam vero partem, in qua Chriſtus Dominus noſter, Saluator & Redemptor, Cruci affixus repræſentatur, duodecim extant Imagines, ipſomet ſacratiſſimo, vti diximus, Ligno inciſæ. Supra ipſum Sanctiſsimę Crucis Lignum lamella aurea inſtar ſchedulæ, Notis hiſce compendiarijs cernitur inſignita, Imagines duodecim.

✠ IS. XS. hoc eſt, Ieſus Chriſtus. In ipſo autem ſacratiſsimo Ligno, ad eius frontẽ, ſacroſancta Trinitas more Græco per tres Imagines humanas repraeſentatur, Notis item cõpendiarijs Rutheaicis, aut Seruianis, hiſce videlicet vocibus: *Sueta Troiza*, ideſt, *Sancta Trinitas*. Quamuis autem hæ Notæ compendiariae in ipſomet ſacratiſsimo Ligno (cuius formam, aut imaginẽ initio, aut fronte huiuſce libri videmus repręſentatam) ſuper dictas tres Imagines ſacras cernantur inciſae; eas tamen, atque id genus alias ſuis in locis incidendas non cenſuimus ob Linguae, atque litterarum ignorationem, nimiamq. locorum anguſtiam, quam inciſio, & impreſsio ſatis bellè ferre non queunt. Nos vero, vt huius generis rei ſuccurramus, omnes Imagines, earumdemq. Notas compendiarias Latina explicabimus lingua: Notae namque ipſae, Ruthenica, aut Seruiana lingua, litteriſque Ruthenicis, vel Seruianis cernuntur inciſæ, vt ab ijſdẽ acepi Ruthenis, qui eas interpretati ſunt: Etenim Rutheni, & Seruiani litteris vtuntur fere ijſdem, quæ magnã cũ litteris Graecis habent affinitatẽ, etiã ſi Graeca lingua à Ruthenica & Seruiana omnino diuerſa exiſtat. Haec de Notis compendiarijs Ruthenicè aut Seruianè inciſis, vt ceteras Imagines, ac Notas expli-

S. Trinitas more Græco repræſentata.

Tacitę obiectioni reſpondetur.

plicemus. Infra Sanctiſsimae Trinitatis Imagines Chriſtus Dominus quattuor clauis Cruci affixus repraeſentatur. Ad Crucifixi dextram Sanctus Paulus Apoſtolus, deinde Maria Cleophæ, prope autem Crucifixum Beata Maria ſemper Virgo, & Chriſti Domini Mater; Ad ſiniſtram vero S. Petrus Apoſtolus, deinde Maria Magdalena, & prope Crucifixum Sanctus Ioannes, qui fuit Diſcipulus Ieſu, & Euangeliſta, quem etiam Ieſus Chriſtus prae ceteris Diſcipulis familiarius diligebat, cui etiam tamquam filio matrem ſuam commendauit, repraeſentantur, vt ex Notis compendiarijs, & aliqua ex parte, ex verbis ipſiuſmet Euangeliſtae Ioannis colligitur dicentis: *Stabant autem iuxta Crucem Ieſu Mater eius, & Soror Matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidiſſet ergo Ieſus Matrem, & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus, Deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua.* Hoc in loco S. Euangeliſta Ioannes mentionem facit de ſe, tamquam de quodam altero, vt ait Lyranus, poſtquam mentionem fecit de Beata Maria ſemper Virgine, Chriſti Domini Matre, necnon de matris Domini Sorore, Maria ſcilicet Iacobi minoris Matre, Filia Cleophae, ac de Maria Magdalena,

Chriſtus Dominus quattuor clauis Cruci affixus.

Sacræ Imagines ad alter. Crucis partem repræſentatæ.

Io. 19.

Lyr. in c. 19. Ioan. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 22. Io. 19.

lena, quae inter alias Mulieres Ieſum ſequutae fuerãt, & ante Crucem ſteterunt, vt etiam alij narrant Euangeliſtae. Quamuis autem Euangeliſtae nullam de Beato Petro hac in re mentionem faciant, & S. Paulus ibi eſſe non potuerit, quippe qui poſt Chriſti Domini Aſcenſionem, & Glorificationem ad Chriſtianam fidem vocatus fuit, & ad Apoſtolatũ aſſumptus; ipſi tamen tamquã glorioſi Apoſtoli, per quos Chriſtianae Religionis ſumpſit exordium, vt Catholica Eccleſia cantat; Necnon tamquam Principes eiuſdem Eccleſiae, quae in pretioſiſſimo Chriſti ſanguine effuſo in Cruce fundata fuit, & opus humanae Redemptionis conſummatum, omnibus Eccleſiae Sacramentis è latere Chriſti emanatis, hoc in loco repraeſentati cernuntur, Paulus videlicet ad dextram, & Petrus ad ſiniſtram: quia ille poſt Chriſti Domini Glorificationem; per quam dextra inſinuatur: Hic verò ante Paſsionem eiuſdem Domini, per quam ſiniſtra ſignificatur. Adde etiam quòd Paulus fuit è Tribu Beniamin, quæ vox Hebraica eſt, & Filius dextræ Latinè interpretatur, vt in Commentario noſtro hac de re conſcripto, & fuſiſsime quidẽ explicatũ fuit, multis hinc inde picturis, aut muſiuis perantiquis in mediũ allatis, & multiplici ratione cõprobatis.

S.Petrus. & S. Paulus.

Eccleſiæ fundamẽtum.

Cur S. Paulus ad dextrã & S. Petrus ad ſiniſtram.

Beniamin quid.

Su-

Supra Chriſti Domini caput ad Crucis frontem hæ duæ leguntur voces: *Ieſus Chriſtus*. ijſdem tamen Notis compendiarijs, quas nuper in medium attulimus. Infra eius pedes, Mortis caput, ſiue Imago cernitur: inferius autem S. Baſilius, & Sanctus Chryſoſtomus, Doctores Græci, qui aduerſus Hæreticos contra Sanctiſsimam Trinitatem blaſphemantes conſcripſerunt, repræſentantur, vt Notæ compendiariæ oſtendunt. S. Baſil. S. Chryſ.

Ad alteram ſacratiſsimæ Crucis ligni partem, in qua ſanctiſsima ſemper Virgo, & Chriſti Domini Mater cernitur repræſentata, decem extant Imagines, ipſomet ſacratiſsimae Crucis ligno inciſae. Supra ipſum ſanctiſsimae Crucis lignum lamella item aurea ſchedulae inſtar Notis hiſce compendiarijs cernitur inſignita ✠ ĪS. X̄S. hoc eſt, *Ieſus Chriſtus*. Ad ipſius autem ſacratiſsimi Ligni frontem Nicolaus Myrenſis Epiſcopus, Ruthenorum Patronus, Notis Ruthenicis, aut Seruianis repraeſentatur. Quattuor item hoc loco Euangeliſtas videre licet: nã ad Beatae Mariae ſemper Virginis Deiparae dextram Matthaeus per faciem Hominis; Marcus per faciem Leonis; Ad laeuam autem eiuſdem Virginis ac Matris Domini Ioannes per faciem Aquilae; Lucas autem per

Imagines decem ad alteram Cruc. partem repræſentatæ.

S. Nicolaus Myrenſis.

Quattuor Euangeliſtæ.

fa-

faciem Bouis repraeſentati cernuntur. Infra Deiparae ſemper Virginis Imaginem Sanctus Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, & Doctor, Ruthenorumque item Patronus: Et paulo inferius ad dextram Sanctus Sergius, & ad ſiniſtrã Sanctus Niconus, ambo Martyres, & in Graecia ſolemniter celebrati, Notis Ruthenorum compendiarijs repraeſentati cernuntur. Deipara verò Maria ſemper Virgo Filium ſuum vnigenitum, Deum ſcilicet, atque Hominem in ſinu ſuo geſtare, atque circumcirca habere conſpicitur Eulogium, aut Elogiũ, vel Encomium tã lingua, quàm litteris, aut Notis Ruthenorum aut Seruianorum compendiarijs conſtãs, Latinè autem ab ipſis Ruthenis redditum in hanc verborum formam: *Honorabilior, & verè glorioſior Cherubinis.* Haec ibi: Adde etiam, quòd verè honorabilior, & glorioſior non ſolum Cherubinis, ſed omnibus Angelorũ Choris; quia, vt cãtat Eccleſia: *Exaltata eſt Sãcta Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum ad Cæleſtia Regna:* hoc eſt ſuper omnes tã angelicas, quàm humanas Creaturas, quęcumque illę ſint, tamquam Victrix, ac Triumphans exaltata eſt, quippe quę de omnibus haereſibus triumphauit iuxta illud vetus, & iam pridem in Eccleſia decantatum Acroama in honorem Deiparae Marię, Reginæ victricis, ac triumphã-

S. Grego. Nazianz.

S. Sergius & S. Niconus.

B. Maria ſemper Virgo.

Eccleſiæ canticũ.

tis

tis in hanc verborum formam: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo Mundo: quæ Gabrielis Archangeli dictis credidiſti, dum Virgo Deum, & hominem genuiſti, & poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti*. Hae ſunt laudes Deiparae ſemper Virginis de cunctis haereſibus in vniuerſo Mundo ab ea interemptis decantatae, & verae quidem laudes, quia cunctas haereſes in vniuerſo Mundo ſola interemit; Sola (inquam) quia ſola peperit illum, qui iuxta Pſalmiſtam *Contribulauit capita Draconum in aquis*, hoc eſt ſuperbias Daemoniorum per baptiſmum, vt ait Gloſſa: Daemones enim ſunt omniũ haereſum inuentores. Sola igitur Deipara ſemper Virgo cunctas haereſes interemit, quia ſola poſt Filium tanti eſt apud Deum meriti, & gratiae tantae, atque tantae in homines miſericordiae, vt per hanc velit, perque illam poſſit cunctas haereſes expugnare: cunctas enim haereſes interemit ſola, dum Angelo credidit; dum Chriſtũ Deũ, & Hominẽ ſola peperit; dũ ad Crucẽ Filij ſui gemebũda ſtetit, ſolaq. conſtantẽ in eum fidẽ, fugientibus Apoſtolis, retinuit. Cunctas deinde interemit haereſes, dum Euangelium dictauit, hoc eſt, dum ſuæ Conceptionis, Parturitionis, aut Paritudinis, ac Partus, Chriſtiq. Pueritiae geſta pan-

Eccleſiæ canticſi. Reſp. 8. in off. Ann. & in Sab.

Ps. 73.

Gloſſa. interl.

xit; dumque inſuper Apoſtolos conſilijs iuuit; dum Catholicos Doctores inſtruxit, & conciliauit, ſemperque inſtruit, & conciliat; dum denique Hęreticos in incredibili pœna, & vindicta mulctauit, & mulctat in dies, vt exempla permulta in Hiſtorijs videre licet; quæ breuitatis cauſa hoc loco prætermittũtur, alibi explicanda. Hæ igitur veræ ſunt laudes Deiparæ Mariæ ſemper Virginis de cunctis hæreſibus in vniuerſo Mundo ab ea interemptis. Id quod iam diù ante Chriſtum natum in Veteri Teſtamento inſinuatum, ſeu quodam modo adũbratum fuit per illam Dei ſententiam; quam contra fraudulentiſſimum Serpentem, Diabolum ſcilicet, qui primam ab ipſo Mundi primordio decepit feminam, in tertio Geneſeos capite Deus pronunciaſſe legitur hiſce verbis: *Inimicitias* (inquit) *ponam inter te, & Mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*, &c. Theologi enim fere omnes tam Scripturales, quàm Scholaſtici per Mulierem in hoc Geneſeos capite nominatam, Beatam quoque Mariam ſemper Virginem, ac Deiparam intelligendam eſſe volunt, quorum è numero eſt Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, qui Anno Dom. CCCC. XL. floruit: Is namque poſt in-

Vaſæus in Hiſt. Hiſp. ex Bozio Sig. 36. & Niceph. l. 2. c. 21. & 15. c. 14. & l. 17. c. 14. Gregor. Nyſſ. in vita Gre. Thaum. Nic. l. 14. c. 28. Paulus Diac. Zon. 3. Ann. Eutrop. l. 22. rerum Rom. Nic. l. 18. c. 33. Lind. l. 2. c. 2. ſug. Idol. &c. Geneſ. 3.

Eucher. l. 1. c. 29. in Gen.

terpretationem de prima Generis humani femina hunc ait in modum: *Quidam autem quod dictum eſt, de Virgine, vnde natus eſt Dominus, intellexerunt, eò quòd illo tempore ex ea Dominus naſciturus ad inimicum Generis humani deuincendum; & mortem, cuius ille Auctor erat, deſtruendam promittebatur. Propterea poſt ipſa verba (Inimicitias ponam inter te, & Mulierem; ſemen tuum, & ſemen Mulieris) illud, quod ſubiunctum eſt, (Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius) de ventris Mariæ fructu, qui eſt Chriſtus, intelligunt; ideſt, tu eum ſupplantabis, vt moriatur; ille autem Victor reſurget, & caput tuum conteret, quod eſt mors.* Haec ex ipſo Eucherio, qui eodem in loco per ſemen Serpentis prauam ſuggeſtionem intelligendam eſſe apertè oſtendit. Per ſemen Mulieris fructum ventris eius, qui eſt Chriſtus, interpretatur: *Solus namque Chriſtus Dominus*, vt ait Rupertus Tuitiēſis, *eſt ita ſemen Mulieris, vt nō etiā viri ſemen ſit*. Per caput Serpentis initiũ ſuggeſtionis à Gregorio Magno intelligitur. Per Mulieris verò calcaneum, qui eſt corporis humani finis, vltima vitæ humanæ periodus intelligitur, vt idem Eucherius eodem in loco ait. Deipara ergo Maria ſemper Virgo caput Serpentis contriuit iuxta Dei ſententiam contra Serpentem hiſce verbis latam: *Ipſa conteret caput tuum*, vt vulgata,

Semen ſerpentis quid ſit

Semen Mulieris quid.

Ruper. l. 3. c. 19.

Greg. l. 20 Moral.

Calcaneũ quid.

Vide Hiſto. Virginalem pag. 3.

 legit

legit editio. Quamuis enim pronomen in hac ſententia iuxta varias tranſlationes variè legatur, hoc eſt, in feminino genere, *Ipſa*, vt habet tranſlatio Hebraica, & vulgata Editio in maſculino, *Ipſe*, vt habet textus Græcus; ambæ tamen lectiones eundem retinent ſenſum, ſiue ad Deiparam, ſiue ad eius Fructum, vel ad ſemen, quod eſt Chriſtus, referantur. Hæc autem varietas ex Hebraico fonte oritur: nam Textus Hebraicus abſque punctis habet illud pronomen, iiſdem conſcriptum litteris, tam ſi in maſculino, quàm ſi in feminino, aut neutro ſumatur genere: puncta enim ſunt illa, quæ vnum genus ab alio diuerſum efficiunt, ſicut conſtat ex Dictionario Hebraico, ab Academia Complutenſi conſcripto, & linguam callentes Hebraicam ita eſſe teſtantur. Sed quamuis Hebraica Lingua neutrum nõ habeat genus, dicto tamen in loco Geneſeos 3. in codicibus Hebræorum ſcribitur, *Hu*, cum puncto, *Surec*, quod interpretatur, *Ipſe*, vel, *Ipſum*, & refertur ad ſemen. De quo ſuperius dixerat: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius*; Vtroque tamẽ modo legi poteſt, quia eiſdẽ litteris vtrumque ſcribitur in Hebræo, ſcilicet *Ipſũ*, & *Ipſa*. Hæc ex Dictionario Academiæ Cõplutenſis ad verbũ. Præterea etiamſi iuxta Editionis

Vniuerſitatis Cõplutenſis Dictionarium Hebraicum.

Gen. 3.

Dict. de incip. à littera He pag. 33.

nis vulgatæ lectionem, ſententia contra Serpentem lata ad Deiparam Mariam ſemper Virginem referatur, non tamen ob id honorem Chriſto adimimus, omnium bonorum Auctori, ac Donatori: Non enim dicimus, quòd Deipara ſemper Virgo ſua propria virtute contriuerit Serpentis caput, ſed eius, quem concepit, & genuit, ſingulari virtute, qua duce, ſe velut alteram inuictam Iudith præſtitit, ac Populi Dei hoſtem infenſiſſimum Holophernem, Diabolum ſcilicet ſumma cum laude ſuperauit, atque ſola omnes haereſes etiam per Dei Hoſtem, Diabolum, ſeminatas interemit: ſola (inquam) quatenus ipſa ſola Chriſtum Dominum hæreticæ prauitatis Domitorem concepit, ac genuit; deque hac ipſa Chriſti Victoris Potentia, & Maieſtate; Diuinitate inſuper, & Humanitate fidem præ omnibus illuſtrem, & conſtantem ad omnes omnium Hæreticorum inſanias, & oblatrationes atterendas, præſertim verò ad primas, & præcipuas illas hęreſes, quæ contra Diuinitatis myſterium, & contra vtramque Chriſti naturam, arte Satanica ſuadente, velut ab inferis in Orbem eruperunt. Merito igitur iam inde ab ipſo ferè naſcentis Eccleſię primordio de ſola Chriſti Domini Matre illud Encomium decantari cœpit in hāc, vt diximus,

verbo-

Eccleſiæ canticum verborum formam: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo Mundo; Quæ Gab rielis Archangeli dictis credidiſti; & poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti.* Iſtuc ferè ipſum ante annos mille ducentos à Sancto Hieronymo, vel potius, vt alij volunt, à Sophronio in ſermone de Aſſumptione Deiparæ celebratum fuit. Idem quoque Venerabilis Beda, S. Bernardus, & alij non pauci ſcriptum reliquerunt tamquam Encomium iam inde ab exordio naſcentis Eccleſię decantari cœptum, hoc eſt, à Deipara Maria ſemper Virgine vniuerſam hęreticam prauitatem interemptam fuiſſe abſque vlla Chriſti Domini glorię diminutione, immo Chriſto ipſo tantę rei Auctore ſubintellecto, quem ſola Virgo ipſa concepit, & genuit, affirmantes.

S. Hieron. to. 9. ep. 10

Beda & S. Bern.

Deipara ergo Maria ſemper Virgo propter admirandas, & ſingulares eiuſdem laudes non ſolum honorabilior eſt, & verè glorioſior Cherubinis, ſed omnibus Angelorum Choris, cum ſuper omnes Angelorum Choros fuerit exaltata, vt cantat Eccleſia; hoc eſt ſuper omnes tam Angelicas, quàm humanas Creaturas, quęcumque illę ſint, exaltata, tamquam Victrix, ac triumphans, quippe quę de omnibus hęreſibus triumphauit iuxta illud vetus, & iãpridem, hoc eſt, iam inde à primordio naſcentis Eccleſię

decantari cœptum. Nunc reliquum eſt, vt rem quarto, & poſtremo loco propoſitam, Crucifixionem videlicet, quattuor clauis præſtitam explicemus.

CAPVT IIII.

De numero Clauorum.

CRVCIFIXIONEM quantum ad numerum clauorum, & quantum ad ipſum crucifigendi modum, arbitrariam fuiſſe dicamus neceſſe eſt, ſi Tabellæ, aut figuræ ære inciſæ diuerſorum Auctorumſpectentur, in quibus variè crucifigendi formę repręſentantur. Crux enim à cruciando dicta, vt Iſidoro placet, notum erat ſupplicij genus, & Inſtrumentum Romanis, Iudęis, & Gręcis in puniendis facinoroſis, ſed tandem abolitum in Teſtamēto nouo propter Paſſionis Chriſti Domini, Saluatoris noſtri reuerentiam. Immo à Theodoſio, & Valentiniano Imperatoribus prohibitum fuit, vt nec ſilici, nec marmoribus humi poſitis inſculpere ſignum Crucis liceret. Id quod à Conſtātino Magno didicerūt Imperatore, qui ſignum Crucis primus in vexil-

Arbitrarius clauorum numerus

Crux à cruciãdo dicta. Inſtrumētum puniendi cō mune.

Imperatorum Decretū.

lum transformauit, eoque mirificam contra Maxentium victoriã conſequutus fuit; Deinde ad hanc victoriam perpetuò repręſentandam; Statuam ſuã ex ęre fabrefactam, dextra manu Signum Sanctiſſimae Crucis ex eadem materia elaboratum tenentem Romae in loco celeberrimo collocari praecepit hac Inſcriptione Latina inſignitam:

Conſtantini Victoria, & Statua.

HOC. SALVTARI. SIGNO. VERO. FORTITVDINIS. INDICIO. CIVITATEM. NOSTRAM. TYRANNIDIS. IVGO. LIBERAVI. ET. S. P. Q. R. IN. LIBERTATEM. VINDICANS. PRISTINAE AMPLITVDINI. ET. SPLENDORI. RESTITVI.

Euſeb. l. 1 de vita Conſtan. c. 33. Niceph. Calliſt. lib. 7. c. 30

Eamdem victoriam, qua contra Maxentium tyrannum Cõſtantinus Magnus potitus fuit, in Arcu videre eſt triumphali, quem S.P.Q.R. ingenti formidine per Conſtantinum ſigno Sanctiſſimae Crucis liberatus, eidem Conſtantino erexit prope Amphitheatrum, quod vulgò Coloſſeum vocitatur, iuxta Sanctam Mariam nouam ad Campum bouarium, non procul ab Eccleſia, S. Gregorio Magno dicata,

vt ipſa Inſcriptio marmore inciſa in hanc docet verborum formam :

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO.
MAXIMO. P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R.

QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS.
MENTIS. MAGNITVDINE. CVM.
EXERCITV. SVO. TAM. DE. TYRANNO.
QVAM. DE. OMNI. EIVS. FACTIONE.
VNO. TEMPORE. IVSTIS. REMPVBLICAM.
VLTVS. EST. ARMIS. ARCVM. TRIVMPHIS.
INSIGNEM. DICAVIT. LIBERATORI.
VRBIS. FVNDATORI. QVIETIS.

Hæc autem Inſcriptio ad hanc vſque diem illæſa cernitur, Victoriamque per Crucis apparitionem à Conſtantino partam, ipſique Diuinitati adſcriptam, verbis ſatis ſignificantibus oſtendit. Hunc Arcum Victoria, & Inſcriptione inſignitum, & Cōſtantino dicatū, magna ex parte ſuperſtitem reſarciendum, eique Crucem imponendam optabat Sixtus V. ad res ſane pias, heroicas, atque arduas, Principe quidem potentiſſimo, quin Pontifice Summo, ac ſe ipſo digniſſimas efficiendas, & producendas natus. Huçuſque occaſione ſatis bellè ſuadente, digredi libuit, vt eò, vn- Sixti V. pia propenſio.

E de

de digreſſi ſumus, reuertamur, hoc eſt ad varium, & arbitrarium crucifigendi modum, circa quem in Crucifixione Dominica quantum ad clauorum numerum, varias hac in re opiniones perlegimus; præſertim verò varietate in picturis, & ſculpturis reperta. Hinc ſunt qui tribus tantum, quiq. etiam quattuor clauis Crucifixionem Dominicam factam fuiſſe dicant. Quòd autem tres tantum claui adhibiti fuerint in Crucifixione Dominica, Picturę atque Sculpturę paſſim obuię, vt recte Gretſerus ait, id ſatis videntur perſuadere, communemque hac in re hominum ferè conſenſum efficiunt. Sed hanc vſitatam, non tamen ſatis antiquam, neque congruam, immo ſatis operoſam conſuetudinem repręſentandi Crucifixionem Dominicam trium clauorum, arbitratu Pictorum, & Sculptorum minus congruenter introductam, & admiſſam fuiſſe crediderim, ſi veterum aliquot Patrum, & aliorum ſcripta, necnon antiquorum opera vermiculata, vel teſſellata, quę etiam muſiua paſſim dicuntur, ſpectemus, in quibus Crucifixionem Dominicam clauis quattuor repraeſentatam ſemper fuiſſe conſtat, vt infra oſtendemus: Quãuis autem antiquae omnium Gentium Crucifixiones arbitrariae, modo, vno, vel duobus,

Opiniones de numero clauorũ diuerſæ.

Gretſerus

Trium Clauorũ numerus arbitratu Pictorũ introductus.

Crucifixio Dominica clauis quattuor repræſentata.

modo

modo tribus, modo quattuor, ac pluribus, etiã duodecim clauis ad maiorẽ ſaeuitiam indicandam, vt in Tabulis, aut Iconibus è Lipſio, & à Bartholomaeo Riccio Fidardenſi ære inciſis, ac deſcriptis videre licet, repręſentatae reperiantur; Crucifixionem tamen Dominicam (etiamſi Nonnus, & Nazianzenus magno, & ſingulari clauo pedis vtriuſque pectuſculum transfixum fuiſſe, & pedibus mutuò impoſitis, & complicatis dicere videantur; lignumq. ipſum Nazianzenus triclauium, hoc eſt, tribus clauis perforatum appellet) nonniſi quattuor clauis praeſtitam fuiſſe reor cũ alijs praeclariſſimis Viris, ac etiam SS. Patribus.

Lipſius de Cruce. Riccius de triumpho Chriſti Crucifixi. Nazianz. In Trag. Chriſtus patiens. Nonn. in Io. c. 19.

Gregorius item Epiſcopus Turonenſis, qui floruit ante mille, atque amplius annos, in libro primo de gloria Martyrum clauos Dominicos, quattuor fuiſſe valde aſſeuerãter narrat in hanc verborum formam: *Quòd claui Dominici quattuor* (inquit) *fuerint, hęc eſt ratio: Duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis; & quaeritur, Cur plantae affixae ſint, quae in Cruce ſancta dependere viſae ſunt potius, quàm ſtare? Sed in ſtipite erecto foramen factũ manifeſtum eſt. Pes quoque paruulae tabulae in hoc foramen inſertus eſt. Super hanc verò tabulam tamquam ſtantis hominis ſacrae affixae ſunt plantae.* Haec Gregorius Turonenſis, qui, dum in ſtipite erecto foramen fa-

Greg. Tur. l. 1. cap. 6.

ctum manifeſtum eſſe, paruulaeque tabulae pedem in foramen inſertum fuiſſe ait, ſe tamquam oculatum teſtem præbere videtur, quippe qui ipſummet ſanctiſſimæ Crucis lignum aliquo in loco viderit, vt ex verbis eiuſdem Gregorij recte penſitatis colligitur. Adde etiã, quòd deinde ſtatim narrat, quid de quattuor illis clauis factum ſit, nonnullaque de clauis ipſis recenſet miracula. Multo ante Gregorium Turonenſem, trecentos videlicet; & amplius annos Cyprianus Martyr, Epiſcopus Carthaginenſis, Vir doctus atque ſanctiſſimus, qui Anno Do. CC. XLIX. Martyrio fuit inſignitus, in ſermone de Paſſione Domini non de vno tantum, ſed de pluribus pedum clauis hunc in modũ loquitur: *Clauis ſacros pedes terebrantibus*.

S. Cypr. Serm. de Paſſ. Dom.

Ruffinus Presbyter Aquileienſis inter Doctores Eccleſiaſticos, vt ait Tritthemius, non paruæ opinionis, atque in Scripturis diuinis valde eruditus, qui claruit Anno Dom. CCCC. in cap. 8. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, dum loquitur de Helena Imperatoris Conſtantini Matre, quæ Dominicam Crucem, & clauos, diuinis admonita viſionibus, inuenit, de Clauis ab Helena ad Conſtantinum Filium cum ipſa Cruce allatis, ita inquit: *Clauos quoque, quibus Corpus Dominicum fuerat affixum, portauit ad filium. Ex quibus ille* (hoc

Ruff. lib. 1. c. 8.

eſt

eſt Conſtantinus) *Frænos compoſuit, quibus vteretur ad bellum. Et ex alijs galeam nihilominus belli vſibus aptam fertur armaſſe*. Hæc Ruffinus, cuius verba ſi rectè perpendantur; quattuor clauos in Crucifixione Dominica adhibitos fuiſſe fatendum eſt. Nam ſi Conſtantinus ex clauis, vt ait Ruffinus, bis in plurali loquens numero, Equi frænos compoſuit; & galeam ex alijs clauis armauit, clauos plures tribus omnino fuiſſe dicamus, neceſſe eſt.

Theodoretus Epiſcopus Cyri, Vir in Scripturis diuinis valde doctus, & in ſecularium litterarum diſciplinis, vt ait Tritthemius, ſufficienter eruditus, qui floruit circa Ann. Dom. CCC. XC. in libro primo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ait, *Clauorum partem fræno equi, & partem galeæ admixtam, necnon expletam fuiſſe veterem illam prophetiam Zachariæ dicentis; Quod eſt ſuper frænum equi, erit ſanctum Domino*. Hæc ex Theodoreto. Sed non deſunt qui verba Zachariæ aliter interpretentur. Theod. l. 1. c. 18. Tritthe. Zach. c. 14.

Sanctus Pater Auguſtinus, qui floruit circa Ann. D. 430. in li. Meditationum c. 6. de pedũ clauis duobus mentionem facit hiſce verbis: *Immaculata veſtigia Chriſti diris confixa clauis*. S. Aug. l. Med. c. 6. To. 9.

Innocentius III. Vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, de Chriſti Domini Cruce, atque clauis in hanc loquitur verborum formam: *Fue-*

runt

Innoc. ſerm.de vno Martyre. An.Dom. 1200.

runt autem in cruce Dominica ligna quattuor, Stipes erectus, & Lignum tranſuerſum, Truncus ſuppoſitus, & Titulus ſuperpoſitus. Fuerunt & claui quattuor, quibus manus confixæ ſunt, & pedes affixi.

S. Brigitta.

Quòd autem in crucifixione Dominica quattuor claui fuerint adhibiti, Sancta Brigitta, inter tot, ac tantas reuelationes cæleſtes, etiam clauorum Crucifixionis Dominicæ numerum ſibi reuelatum fuiſſe ſatis apertè oſtendit in lib. primo Reuelationum cap. 10. li. 4. cap. 70. li 7. cap. 15. & Reuel. extrauag. cap. 51. præſertim verò in lib. 4. cap. 70. hiſce verbis: *Peruento igitur ad locum Crucifixionis, & ecce malleus, & quattuor claui acuti in promptu ſunt.* Quamuis autem dictis in locis nuper citatis mentionem ſemper faciat de quattuor clauis, hoc eſt, de duobus clauis ad manus, deque duobus ad pedes adhibitis; pedes tamen non diſparatos, ſed cancellatos, ideſt ſiniſtro pede ſuper dextrum pedem impoſito, duobus clauis crucifixos fuiſſe dicere videtur, vt Conſaluus Durantus, Vir doctus, & Epiſcopus Feltrẽſis, qui dictas Reuelationes notis eruditiſſimis illuſtrauit, ex MS. codicis Farneſiani lectione optime interpretatur.

S. Brig. l. 1. Reuel. quæ Anno Dom. 1373. An. 2. Greg. XI. obiit.

Conſalu. Durantus

Hanc de quattuor clauis Dominicis aſſertionem Scriptorum antiquorum, quos in medium attulimus, comprobant, & ſequuntur

Scriptores alij, hoc eſt Ioannes Iuſtus Lanſpergius homil. 41. Ianſenius in Concordia c. 143. Medina in. 3. p. S. Thomæ. q. 46. art. ij. Et ex recentioribus Alphonſus Palęotus Archiepiſcopus Bononienſis in libro de Stigmatibus, ſacrę Sindoni impreſſis, cap. 19. Gretſerus lib. 1. de cruce cap. 20. Cardinalis Toletus in c. 19. Ioannis, & Cardinalis Baronius Tom. 3. Annalium pag. 333. atque item alij, quos breuitatis cauſa prætermittendos cenſeo.

Lanſp. Ianſ. Medina. Palæotus c. 19. pag. 141. Gretſ. Toletus. Baron.

Huius generis opinioni, aut aſſertioni, quam ego etiam ſequor, Sculpturæ, ac Picturæ valde antiquę fauere inueniuntur. Nã duę ſunt Imagines Chriſti Domini Crucifixionẽ repręſentãtes, cedrino ligno inciſæ, quarum altera à Nicodemo ex Iudæorum Principibus vno, necnon ex ijs, qui in Chriſtum crediderunt, & ex Phariſæis homine. Altera verò à S. Luca Euangeliſta effictæ; ambæ autem valde inſignes, tum propter antiquitatem, tum etiam propter nobilitatem Sculptorum, quorum ille Chriſti Domini familiaris, & Diſcipulus eiuſdẽ occultus fuit; &, vt Sanctus Ioannes Euangeliſta inquit, mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum detulit pro eiuſdem corpore ſepeliendo; Hic vero Apoſtoli Pauli ſectator, & omnis peregrinationis eius comes. Hinc ambę

Io. 3. Nicodemus, & S. Lucas Io. 19.

Ima-

Imagines ob huius generis eminentias, & ob miracula diuerſis temporibus à Deo per eas praeſtita, maxima cum veneratione, ac fidelium eas adeuntium fre quentia, & deuotione aſſeruantur;Illa in Hetruriae Ciuitate, quę Luca nuncupatur; Hæc verò Siroli prope Anconam Oppidi, vbi erat Ciuitas maritima, quæ Numana vocitabatur, olim,vt aiunt,à Gothis euerſa; nũc autem Humana vulgò,& corrupte quidem,nuncupatur.

Pomp. Mela.l.2.

Ambæ inſuper Imagines, tibijs diuaricatis, pedibus videlicet diſcretis,cedrino,vti diximus, ligno inciſæ,quattuor clauis Cruci affixæ, non nudæ, ſed veſtitæ; illa calceatis pedibus; hæc autem pedibus nudis cernuntur. Illa Imago, quæ Lucæ aſſeruatur tamquam viua Cruci affixa cernitur: barbam coloris auellanę,ſubflauam ſcilicet, comae adſimilem,haud longam, ſed in extrema parte ſenſim bipertitam habens,iuxta epiſtolam, quae ſub nomine Lentuli ad Tiberium Caeſarem ſcripta circumfertur, necnon iuxta ea, quae Nicephorus in libro primo Eccleſiaſticae hiſtoriae ſcripta reliquit, repraeſentatur, nigra veſte, at ſericea, cunctis indumẽti oris,aut extremitatibus,quas vocant fimbrias, acu pictis, aut phrigiatis, hoc eſt, auro contextis, cinguloque item aureo, necnon an-

Imagines crucifixi Lucæ, ac Siroli aſſeruatę

Lentuli Epiſtola.

Niceph. lib.1. c. 40.

terio-

teriore veſtis parte infra cingulum auro contexta cernitur,auream habens Coronam,regalem ſcilicet, ac imperialem ; ſupra verò Coronam ſunt duae Graeci Alphabeti litterae , hoc eſt, prima & vltima , quae ſunt Α . Ω , Alpha, & Omega,quibus litteris per principium ſcilicet, atque finem Dominus Deus repręſentatur,ante quem nullus,vel à quo omnia cœperunt,& poſt quem nullus, vel in quo omnia terminabuntur, vt in diuerſis Scripturae ſacrae locis videre licet . Iſai 41. & Apoc. 1.& c.

Calcei eiuſdem Imaginis argẽtei ſunt,ſed aurati,cruce inſigniti, quorum dextrum ad hominem quẽdam,pro ope ſibi impetranda orantẽ, Ipſamet Imago miraculosè proieciſſe narratur. Inde pro eo calceo ſubſtentando (nudato calcaneo, qui calceum nunquam recipere potuit) Calix non conſecratus appoſitus fuit , ſicut ad hanc vſque diem illic cernitur ; & calcei pretiũ illi homini,Crucifixum imploranti,datum fuit. Indumentum verò , & calceamenta non à Nicodemo, ſed ab alijs Chriſti fidelibus eidem Imagini non ſine Dei monitu per Angelum indicato,addita fuiſſe, docet hiſtoria . Ad latus eiuſdem Imaginis dextrum circa tergum feneſtratum extat repoſitorium , in quo Reliquiae inſignes à Nicodemo inibi reconditae aſſeruan-

Imagines ob huius generis eminentias, & ob miracula diuerſis temporibus à Deo per eas praeſtita, maxima cum veneratione, ac fidelium eas adeuntium frequentia, & deuotione aſſeruantur; Illa in Hetruriae Ciuitate, quę Luca nuncupatur; Hæc verò Siroli prope Anconam Oppidi, vbi erat Ciuitas maritima, quæ Numana vocitabatur, olim, vt aiunt, à Gothis euerſa; nũc autem Humana vulgò, & corrupte quidem, nuncupatur.

Pomp. Mela. l. 2.

Ambæ inſuper Imagines, tibijs diuaricatis, pedibus videlicet diſcretis, cedrino, vti diximus, ligno inciſæ, quattuor clauis Cruci affixæ, non nudæ, ſed veſtitæ; illa calceatis pedibus; hæc autem pedibus nudis cernuntur. Illa Imago, quæ Lucæ aſſeruatur tamquam viua Cruci affixa cernitur: barbam coloris auellanę, ſubflauam ſcilicet, comae adſimilem, haud longam, ſed in extrema parte ſenſim bipertitam habens, iuxta epiſtolam, quae ſub nomine Lentuli ad Tiberium Caeſarem ſcripta circumfertur, necnon iuxta ea, quae Nicephorus in libro primo Eccleſiaſticae hiſtoriae ſcripta reliquit, repraeſentatur, nigra veſte, at ſericea, cunctis indumẽti oris, aut extremitatibus, quas vocant fimbrias, acu pictis, aut phrigiatis, hoc eſt, auro contextis, cinguloque item aureo, necnon an-

Imagines crucifixi Lucæ, ac Siroli aſſeruatę

Lentuli Epiſtola.

Niceph. lib. 1. c. 40.

terio-

teriore veſtis parte infra cingulum auro contexta cernitur,auream habens Coronam,regalem ſcilicet, ac imperialem; ſupra verò Coronam ſunt duae Graeci Alphabeti litterae, hoc eſt, prima & vltima, quae ſunt Α. Ω, Alpha, & Omega,quibus litteris per principium ſcilicet, atque finem Dominus Deus repręſentatur,ante quem nullus,vel à quo omnia cœperunt,& poſt quem nullus, vel in quo omnia terminabuntur, vt in diuerſis Scripturae ſacrae locis videre licet. Iſai 41. & Apoc. 1.& c.

Calcei eiuſdem Imaginis argẽtei ſunt,ſed aurati,cruce inſigniti, quorum dextrum ad hominem quẽdam,pro ope ſibi impetranda orantẽ, Ipſamet Imago miraculosè proieciſſe narratur. Inde pro eo calceo ſubſtentando (nudato calcaneo, qui calceum nunquam recipere potuit) Calix non conſecratus appoſitus fuit, ſicut ad hanc vſque diem illic cernitur; & calcei pretiũ illi homini,Crucifixum imploranti,datum fuit. Indumentum verò, & calceamenta non à Nicodemo, ſed ab alijs Chriſti fidelibus eidem Imagini non ſine Dei monitu per Angelum indicato,addita fuiſſe, docet hiſtoria. Ad latus eiuſdem Imaginis dextrum circa tergum feneſtratum extat repoſitorium, in quo Reliquiae inſignes à Nicodemo inibi reconditae aſſeruan-

tur. Haec de Imagine Chriſti Domini quattuor clauis Cruci affixa, quae Lucae cuſtoditur, cuius exemplar in Bibliotheca item Angelica Romae aſſeruatur.

Imago Crucifixi aſſeruata Siroli.

Altera Imago Chriſti Domini Saluatoris noſtri cedrino item ligno, vti diximus, à S. Luca Euangeliſta dicitur inciſa, & quattuor clauis Cruci affixa, Siroli, prope locum, in quo fuit Numana Ciuitas, cuſtoditur, ſed modo nuda oſtenditur, & modo veſtita, eòque miraculosè deueniſſe per traditionem enarratur. Sed poſt Numanam à Gothis funditus euerſam, dictam Imaginem trecentos, & amplius annos ſub terram iacuiſſe, Diuinoque tandem aliquando nutu inter fodiendum repertam, Siroli, vbi nunc maxima omnium Populorũ veneratione cernitur, locatam fuiſſe tradunt. Haec Imago, quattuor clauis Cruci affixa, repræſentat illud tempus, in quo latus eius lancea nondum erat apertum. Hinc Crucifixus adhuc viuens repręſentatur, barbam & comam Imagini Crucifixi Lucenſis habens adſimiles, regalemque deferens Coronam in capite. Supra verò Crucem Tabella extat, in qua Titulus cernitur hiſce litteris inſignitus: I. N. R. I. hoc eſt, Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum.

Ad illud item veteris Baſilicae Sancti Petri

re-

reſiduum, quod ſuperioribus diebus dirutum fuit, Baſilica noua expletam, & perfectam formam ſuſceptura, à tergo Oratorij, ſiue Sacelli, vel Altaris olim Sudarij ſanctiſſimi Saluatoris noſtri, Veronicae nuncupati, ſupra Portam ſanctam, ad interiorē Baſilicæ partem, extabat etiã Oratorium opere muſiuo inſigni, exultoquę decoratum, & in honorē immaculatae ſemper Virginis, ac Dei Genitricis à Ioanne VII. circa Annum Domini DCC.VI. conſtructum, vt ipſa Tabula quadrata ad Capitis eiuſdem Ioannis occiput ſita præſeferebat, quae, Ioãne Diacono teſte in vita ſancti Gregorij Magni, ſignum viuentis apud veteres Pictores eſſe ſolebat. Quòd etiam dictum opus muſiuum Ioannis VII. iuſſu factum fuerit, Anaſtaſius Bibliothecarius, Platina, & Panuinius teſtantur; immo Inſcriptio, quae in opere ipſo legebatur, docebat hiſce verbis:

Baſilica S. Petri.

Io. VII. DCC.V

Tab quadrata quid.

Io. Diac li. 4. c. 83 & 84.

IOANNES. INDIGNVS. EPISCOPVS FECIT. SANCTAE. DEI. GENITRICIS SERVVS.

In hoc muſiuo inter alias, & multas quidem Icones, quae Romae in Bibliotheca Angelica aſſeruantur, Imago Chriſti Domini Saluatoris noſtri quattuor clauis Cruci affixa, & à collo ad

conuexum vſque pedum,amictu quodam caſtanei coloris velata, pedibus tamen, & brachijs nudatis,& diademate, ſignum Crucis praeſeferente,inſignita, repraeſentabatur. Supra verò Diadema Titulus hiſce legebatur litteris : I. N. R. I. hoc eſt,Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum.

roli agni do m.

Karolus Magnus Imperator Auguſtus à Leone III.Romae circa Annum Domini DCCC. XV.coronatus, Baſilicae Sancti Petri dono dedit inter alia Crucifixum ex argento fabrefactum, quattuor clauis Cruci affixum, cuius altitudo ſeptem conſtat palmis. Crucis latitudo vndecim, altitudo autem tredecim palmis. Supra Crucem ligneam ſacra Chriſti Domini extat Imago,quae manu dextra geſtat ſceptrum, ſiniſtra verò globum, per quem totus inſinuatur Mundus: Ad Crucis dextram Beata Maria ſemper Virgo,Chriſti Domini Mater; Ad ſiniſtram verò Sanctus Ioannes Euangeliſta repręſentãtur: Infra Crucem Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus conſpiciuntur. Omnes autem Imagines, hiſce in locis ligno inciſae repraeſentantur; Idcirco eas hoc loco apponẽdas nõ cenſuimus. Dicta Crucifixi argentea Imago in ipſa Vrbis direptione tẽpore Clementis VII. à militibus ob eius nigredinem cognita non

fuit.

fuit. Hinc Anno Dom. 1551. tempore Iulij III. ob magnam rerum penuriam, ex Vrbis depopulatione contractam, in vſus pios eiuſdem Baſilicæ (cuius prouentus, vel reditus annui, ſatis tenues tunc temporis erant) conuerſa fuit, hoc eſt, in Calices, in Crucem magni ponderis; in duo Candelabra maiora, & ſex minora, necnon in duo Simulacra, Sanctos videlicet Apoſtolos, Petrum, & Paulum repræſentantia. Crucifixi verò argentei vice, Imago ex plaſte, vel miſtura, quam ſtuccum vulgò appellant, ad eãdem omnino ſimilitudinẽ efficta fuit, eidemq. Cruci quattuor item clauis affixa, in eiuſdem Baſilicæ Sacrario, quod antiquitus vocitabatur Templum rotundum Sancti Andreæ, deinde Sanctæ Mariæ de febribus, ad hanc vſque diem cuſtoditur. Hæc aliqua ex parte ex Onuphrio Panuinio in libro 7. de præſtantia, & rebus antiquis Baſilicæ Sancti Petri cap. 3. Hi verò libri manuſcripti ſunt, & in Bibliotheca eiuſdem Baſilicæ aſſeruantur. Quę autem ſcripta ſunt de Argento librarum circiter centum in vſus pios conuerſo, relata ſunt nobis partim ab ijs, qui ea tempeſtate viuebant, remque ipſam cum Manno Piſano Aurifice tractabant tempore Iulij Tertij P.M. Anno Dom. 1551. partim verò deſumpta ſunt ex eo expenſi co-

[Margin: Iul III. Anno Dom. 1551.]

[Margin: Panu. l. 7. cap. 3.]

[Margin: Die. 17. Ap. 1551.]

dice, quem Sacrarij Baſilicæ Sancti Petri librum exitus, vel mandatorum vulgo vocitare ſolent, dum aliquid pro Sacrario, vel Baſilica faciendum curant.

Hunc item in modum Crucifixionis Dominicæ Imago per pictoriam artem quattuor clauis repræſentata inuenitur in perantiquo Sancti Gregorij Graduali, in membrana conſcripto, notis muſicis antiquis inſignito, & Iconibus, aut Imaginibus, etſi ſatis rudibus, prout illa ferebat ætas, ornato. Huius generis Graduale, quod in Bibliotheca Angelica, publicæ dicata cõmoditati Romæ in Aedibus Auguſtinianis, aſſeruatur, omnia comprehendit, quæ in Miſſis totius anni iuxta temporum, ac dierum feſtorum varietatem à Cantoribus in choro cantari ſolent; hoc autem non eſt proprium Sancti Gregorij exemplar, ſed ex eo deſumptum, vel deſcriptum circa Ann. Dom. M.XXIX. vt videre eſt in quibuſdam Notationibus, aut Regulis de Cyclo ſolari, & lunari, de Epacta, De Anno biſſextili, deq. alijs rebus ad computum Eccleſiaſticũ pertinentibus, quæ ipſi Graduali præpoſitæ leguntur. Dicti verò Gradualis exemplar fuit concinnatum, & editum à Sancto Gregorio Magno, qui etiam Antiphonarium edidit, & Eccleſiaſticam muſicam reformauit di-

Graduale Sancti Gregorii Magni.

Bibliotheca Angelica

M.XXIX.

uerſis

uerſis in locis, præſertim verò in Gallia, & Scholam Cantorum in Baſilica Sancti Petri, & in Baſilica Lateranenſi Romæ inſtituit, vt Ioannes Diaconus in eiuſdem S. Gregorij Magni Vita ſcriptum reliquit. Quòd tandem dictũ Gradualis exemplar fuerit Sancti Gregorij Magni, apertiſſimè conſtat ex quadam Rubrica ad frontem Gradualis, ac Dominicæ primæ Aduentus Domini conſcripta hiſce verbis: *Gregorius Papa*, &c. *compoſuit hunc libellum Muſicæ artis Scholæ Cantorum Anni Circuli*. Hãc igitur Crucifixionis Dominicæ Imaginem Sancti Gregorij Magni tempore, quod fuit ante mille annos, quattuor clauis repræſentatam fuiſſe conſtat.

Muſica reformata à Gregorio Magno. Io. Diac. lib. 2. c. 6. & ſeq. To. 1.

Hanc ſuper Crucẽ extat etiam Titulus fieri cõſuetus hiſce verbis; IHS. NAZARENVS REX.IVDAEORVM. Quãuis enim talis Titulus in ipſamet Crucifixione Dominica Hebraicè, Cræcè, ac Latinè fuerit conſcriptus, vt Lucas, & Ioannes Euangeliſtæ ſancti teſtantur, & ipſemet Titulus, tribus hiſce conſtans linguis, Hebraico more, à dextra ſcilicet ad ſiniſtram conſcriptis, in Baſilica Sanctæ Crucis in Hieruſalem aſſeruatus, re ipſa docet (vti iã demõſtratũ fuit) in Crucifixione tamẽ Dominica repræſentanda Latinè tantum ſcribi, pingi, & ſculpi ſolet, prima Tituli voce ſola originem

Luc. 23. Io. 19.

Pag. 4.

Græ-

Grẹcam retinente per ſecundam præſertim vocis litteram H,quæ apud Græcos, Ητα , *Ita* , vocitatur , & apud Latinos conuertitur in,E, longum,vt IH̄S, IESVS . Hinc imperiti Græcos characteres ignorantes , ſcribunt,Ieſus , cum aſpiratione hunc in modum, *Iheſus*, vel , *Ih̄s*,per abbreuiationē , ſecundam litteram huiuſce vocis IH̄S , eſſe aſpirationem putantes,ignoratione linguæ Græcæ decepti .

Eccleſia S.Clem. — S.Nicol. in Carc. — Coemet. Iulii.I. — Conſtan. via Nomentana. — Archiuū S.Petri.

Hunc item in modum Dominica Crucifixio cernitur repræſentata in Abſide Eccleſiæ Sancti Clementis muſiuo perantiquo decorata : In Confeſſione quoque ſubterranea Sancti Nicolai in carcere Tulliano antiquiſſimis picturis ornata;Necnon in Iulij Papẹ primi Coemeterio,quod eſt in vinea Ordinis fratrum Eremitarum S.Patris Auguſtini ad Viam Flaminiam, vbi erat vetuſtiſſima Eccleſia S.Valentini, Crucifixio Dominica quattuor clauis repraeſentatur. Idē crucifigēdi modus cernitur in antiquiſſimo Beatae Conſtantiae, Conſtantini Magni Imperatoris filiae templo, quod eſt in via Nomentana prope ſanctam Agnetem , vbi pluribus in locis Crucifixio Dominica quattuor clauis praeſtita repræſentatur . In Archiuo item Baſilicae Sancti Petri aſſeruātur Codices manuſcripti duo perantiqui , in quibus Imago

Chri-

Chriſti Domini quattuor clauis Cruce affixa cernitur picta.

In Aegypti etiam Ciuitate, quæ Alexandria vocitatur, inuenta olim fuit Imago Crucifixi argentea, quattuor clauis affixa ligneæ Cruci, ad cuius tergum Ruthena leguntur verba, ligno inciſa, in quibus fit mentio de tertia decima Menſis Februarij die, ac de Reuerendo Patre Martiniano. Hęc autem Imago donata iam fuit S.R.E. Cardinali Comẽſi, & Romę aſſeruatur. Alexandria Aegypti. Card. Comenſis.

Eamdem inſuper quattuor clauorum Crucifixionem Dominicam non ſolum in alijs quãplurimis Romæ locis, verumetiam in multis Italiæ partibus me inueniſſe memini, dum inter viſitandam Sodalitatem Auguſtinianam, Italiam fere totam peragraui vnà cũ Generali eiuſdem Sodalitatis Magiſtro Spiritu Vicentino, cuius erã à ſecretis. Iacobus item Gretſerus è Societate Ieſu, vir Doctiſſimus, & varia eruditione clariſſimus; qui permulta, & ſcitu quidem digna, tribusq. tomis comprehenſa de Sanctiſſima Cruce conſcripſit, multas antiquas Chriſti Crucifixi imagines reperiri teſtatur, in quibus ſinguli pedes ſingulis clauis figuntur, qualis etiam fertur (inquit) antiquiſſima imago illa, quæ in Chiemenſi Monaſterio Bauariæ oſtẽditur. Iſtuc ipsũ indicare videtur Lipſius, Vir Auguſtiniana Sodalitas. To. 1. l. 1. cap. 20. Monaſt. Chiemenſe.

 eru-

ipſ. in Notis ad lib. de Cruce c. eruditiſſimus, & vbiuis ferè gentium notiſſimus. Nā in lib. 2. de Cruce veterē crucifigendi morem quantum ad numerum clauorum arbitrarium fuiſſe oſtendit, vti etiam nos loco ſuo diximus; *Si tamen* (inquit Lipſius dicto in libro) *de Chriſto quæritur*, (quantum ſcilicet ad numerum clauorum) *neſcio* (ait) *& in diſſenſu Patrum non eſt meum arbitrari*. Hæc Lipſius. At in Notis ad ſecundum librum de Cruce cap. 9. palinodiam canit, dum ſententiam de Crucifixione Dominica, quattuor clauis repręſētatā, ſequi videtur hiſce verbis; *Atque ego, etſi negaui me decidere, pronior tamen ſum in hanc partem. In exemplis* (inquit) *Græciæ hodie intelligo paſſim Chriſtum Cruci affixum, diſparatis pedibus ſic pingi. Vidimus id ipſi Venetijs in Gentis eius Templo, tum & alibi in antiquioribus picturis. Audio & Treuiris clauum, qui aſſeruatur, diſerte in memorijs antiquis ſcribi, Clauum pedis dextri: Addo autem, Conſtātinum Imperatorem quoſdam ex his clauis (id quoque multitudinem ſuadet) inſeruiſſe capiti Statuæ, quā ſuo nomine Conſtantinopoli poſuit.* Hæc Lipſius ex Zonara, qui in tertia Annaliū parte, de ſimulachro ipſius Conſtantini Magni æneo mira magnitudine, atque arte antiquæ manus pene viuentis inſtar expreſſo ita etiam inquit: *Diuinus Imperator ſuum illi nomen indidit, clauis quibuſdam Capiti inſertis, qui corpus Domini ſalutife-*

[Margin notes: Græcia. — Venetiæ. — Treuir. — Ioan. Zonar p. 3. Annal. pag. 114.]

re Cruci affixerant. Hucuſque Zonaras.

Ex tot igitur tantorum Virorum, tam ſcilicet veterum, quàm recentiorum Scriptorum monimentis, aut ſententijs; necnõ ex tanta multitudine Picturarum antiquarum, quae in diuerſis Europae locis inueniuntur, Sculpturis item, quæ ad rem noſtram pertinent, adiectis, Crucifixionem Dominicam quattuor clauorum fuiſſe, facilè credi valet, vel vix negari poteſt, rebus omnibus, quas ad hanc rem comprobandam in medium attulimus, diligenter penſitatis, præſertim verò veneranda antiquitate haud neglecta, quae talem pingendi, & ſculpendi morem non ſine valida ratione admiſiſſe cenſenda eſt, quippe quae tẽpori Paſſionis Dominicae ſatis propinqua erat, vel ab eo tẽpore minus remota, & ad veritatẽ hiſtoriç antiquç ſuſcipiendam magis idonea. Non deſunt autem qui ad maiorem Iudaeorum ſaeuitiam indicandam tres tantum clauos in Dominica Crucifixione adhibitos fuiſſe contendant; & huic opinioni Alphõſus Toſtatus annuere videtur in Paradoxo 3. cap. 10. ob hanc præſertim rationem: *Quia, cum hic* (inquiunt) *ſufficiat numerus, talis etiam clauorum numerus maiorem affert cruciatum: nam tribus tantum adhibitis in Crucifixione clauis, vtrumque pedem, alterum ſcilicet alteri ſuperpoſitum vno tantum clauo confi-*

Crucifixio Dominica quattuor clauorum tã Picturis, & Sculpturis, quã Scriptoribus antiquis, & recentioribus comprobatur.

Toſt. to. 21.

gi oportuit, quem clauum longiorem, & craſſiorem fuiſſe, necnon magis, atque magis terebraſſe pedes, maioremque dolorẽ attuliſse dicas neceſſe eſt. Ego verò cum Gretſero vtrumque pedem vno tantum clauo perforandi modum, non ſolum ineptum, ſed etiam oſſium fracturae valde idoneum eſſe affirmo;
o. 19. cum tamen nullum Chriſti corporis os confractum fuiſſe apertè conſtet. Adde, quòd huius generis clauum ceteris clauis longiorem, & craſſiorem à quopiam inuentum, aut viſum fuiſſe nuſquam narratur inter tot Scriptores, qui hac de re conſcripſerunt. Quamuis autem hac in re,
Gretſer. vbi ſup. vt ait Gretſerus, nihil certi ſtatui queat; ego tamen de Crucifixione Dominica quattuor clauis praeſtita, ſententiam omnino ſequor, rationibus, & Scriptorum antiquorum, & quidem inſignium auctoritatibus, necnon Picturis, & Sculpturis antiquis perſuaſus.

Quid tandem factum ſit de quattuor illis cla-
Gregor. Tur. n. 6. uis, Gregorius Turonenſis in primo de gloria Martyrum libro ita inquit: *Duo ſunt, quos ſupra diximus aptatos in fræno* (equi ſcilicet Cõſtantini) *tertius proiectus in fretum* (ad mare videlicet tranquillũ reddẽdum) *quartum afferunt eſſe defixum in capite Statuæ Conſtantini.* Haec ex Gregorio Turonenſi, cui de clauo, quem fraeno ſui equi Conſtantinus Imperator immiſit; & de altero, quo ſuam Con

ſtan-

ſtantinus itẽ galeam muniuit, Nicephorus li. 8. cap. 29. & Sigonius libro 3. n. 327. de Imperio occidentali, & alij aſtipulantur. Non deſunt verò qui ſcribant, ex illis quattuor vnum Treuiris aſſeruari, vti iam diximus; alterum Mediolani; Tertius autem ex illis Romæ in Baſilica Sanctæ Crucis in Hieruſalem aſſeruatur, cum Titulo ſanctiſſimæ Crucis, & Portione Ligni eiuſdem, vt ego ipſe vidi non ſemel.

Niceph. Sigon. Baſilica S. Crucis in Hieruſalem.

Quamuis autem in Crucifixione Dominica clauos quattuor, non plures, nec pauciores adhibitos fuiſſe cenſeamus, ſicut omnia, quae pro hac re in medium hucuſque attulimus, id ita eſſe facile nobis perſuadent; fieri tamẽ poteſt, vt plures eorumdem clauorum particulae diuerſis in locis reperiantur. Chriſtiani enim, praeſertim verò antiquiores, Inſtrumentorum Paſſionis Dominicae amantiſsimi; vbi vel minimam particulam ex clauo Dominico nacti eſſent, vt ait Gretſerus, integro clauo theſaurum illum ſanctiſsimum includebant, quo accidit, vt ob aliquam partem claui Dominici totus clauus cenſeretur ſacer. Fieri etiam potuit, vt multi ad imitationem clauorum Dominicorum, inquit Gretſerus, alios ſibi fieri curarint, eiuſdem formae ac magnitudinis, vt, cum ſibi non liceret ipſum prototypum obtinere, ſaltem effigiem ex

Clauorũ multitudo vnde naſcatur. Gretſ. To. 1. l. 1. c. 20

illo

illo expreſſam,& effictam poſsiderent, & colerent. Sed non propterea multiplicati ſunt claui Dominici, ſed potius ipſorum ſimilitudines, & imagines cenſentur multiplicatae.

Adde etiam,quòd alicubi fortaſſe accidit,vt clauus aliquis inter ſacras reliquias aſſeruatus, quo quiſpiam Chriſti Domini Martyr confixus eſt, vnus ex ipſis Paſsionis Dominicae clauis fuerit exiſtimatus.Id quod Gretſerus cum Cardinale Baronio recte obſeruauit. Vel fieri potuit,vt claui,quibus affixa fuit Tabella,ſiue Titulus, claui Crucis dicantur,& habeantur:Cyprianus enim in ſermone de Sina,& Sion, Tabulã tituli clauis Cruci affixam fuiſſe affirmat. Vtcumque autem ſit, clauos Crucifixionis Dominicae quattuor, non plures, nec pauciores fuiſſe cenſendum videtur, ſi hucuſque in medium allata diligenter perpẽdantur. Haec ſunt, quae de rebus quattuor initio propoſitis mihi dicenda videbantur. Quoniam verò ſcopum, quem mihi propoſueram,ſatis attigiſſe videor, Cõmentario de Particula ex pretioſo, & viuifico ligno Saluatoris Ieſu Chriſti deſumpta, & in Apoſtolico Sacrario aſſeruata, ad laudem, & gloriam eiuſdem Chriſti Domini Saluatoris, ac Redemptoris noſtri, qui pro noſtra Redẽptione in tali pependit Ligno, finem impono.

Amen.

[Margin notes: ard.Ban.Chrii 326. 3.3. — ypr. ſer. Sina, Sion.]

Imprimatur ſi videbitur R. P. M. Sac. Pal. Apoſt.
Cæſar Fidelis Viceſg.

Ego Raphael Epiſcopus Zacynthi, & Cephalleniç perlegi opuſculum de Particula S.Crucis Reuerendiſſ. Epiſcopi Tagaſtenſis, nihilq. in eo inueni diſſentiens à Fide Catholica, & bonis moribus contrarium, exiſtimoq. vtiliter edi poſſe, ita iubente Reuerendiſsimo P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Imprimatur
Fr. Ludouicus Tſtella Magiſter Sac. Palatij Apoſt.

Digitized by Google

INDEX RERVM PRAECIPVARVM
Quæ in Commentario comprehenduntur.

A

Academiæ, vel Vniuerſitatis Complutenſis Dictionarium Hebraicū. 28
Alexandria Aegypti Ciuitas, in qua imago Crucifixi argẽtea olim inuenta fuit; nũc vero Romæ aſſeruatur. 49
Alpha, & Omega quid ſignificent. 41
Alphabetum Ruthenicum, & Sclauonicum à quonam viro fuerint inuenta, deinde à quonã inſtaurata & exculta. 16
Alphabeti Sclauonici Conſtantinus Philoſophus inuẽtor. 16
Amphitheatrum vulgo Colloſſeum vocitatum. 32
Andreæ S. & Apoſtoli Baptiſmus in Ruſſia, & Crux eiuſdẽ vbinam fuerit collocata. 14
Apoſtoli ſancti, hoc eſt, Petrus, & Paulus cur in hac Dominica Crucis Particula fuerint repræſentati. 22
Archiuũ Baſilicæ S. Petri Romæ; vbi antiquiſſima imago quattuor clauis cernitur repræſentata. 48
Arcus Conſtantino Magno dicatus. 33
Argenteus vnus ex triginta illis argenteis, quibus venditus fuit Chriſtus Dominus, in Baſilica S. Crucis in Hieruſalem aſſeruatur. 9

B

Beniamin, ideſt Filius dextræ. 22
Bibliotheca Angelica publicæ commoditati dicata. 46
Brigittæ ſanctæ reuelatio de quattuor Clauis Crucifixionis Dominicæ. 38

C

Calcaneus Mulieris in Geneſi commemoratus quid ſit. 26. 27
Calcei argentei Crucifixi Lucenſis. 41
Canticum Eccleſiæ. 24. 25. 30
Chiemenſe Monaſterium, vbi antiquiſſima imago Crucifixi quattuor clauis cernitur repræſentata. 49
Chriſtus Dominus diſparatis pedibus, in Græcia quattuor clauis Cruci per pictoriam artẽ affixus paſſim cernitur. 50
Chriſtus Dominus Cruci affi-

xus quattuor clauis. 21. 31. *& ſequ.*

Clauus vnus ex illis, quibus Cruci Chriſtus Dñs fuit affixus, in Baſilica ſanctæ Crucis in Hieruſalem aſſeruatur. 9

Clauorum numerus in crucifixione arbitrarius. 31

Clauorum crucifixionis Dominicæ opiniones diuerſæ. 34

Trium clauorum numerus arbitratu Pictorum introductus. 34

Clauos Dominicæ Crucis quattuor fuiſſe Gregorius Turonenſis affirmat. 35. *Idem dicit S. Cyprianus, & alij.* 35. 36. 37. 38. & 39.

Clauo vno vtrumque pedem crucifigendi modus ineptus, & oſſium fracturæ valde idoneus. 52

Clauis ex illis crucifixionis Dominicæ quid factum ſit. 36. 37. 52. 53.

Clauorum crucifixionis Dominicæ multitudo vnde naſcatur. 53

Claui Crucifixionis Dominicæ quattuor, non plures, nec pauciores fuerunt. 54

Claui pedum duo. 37

Clauos crucifixionis Dominicæ quattuor fuiſſe tam Picturis, & ſculpturis, quàm Scriptoribus antiquis, & recentioribus comprobati cenſentur. 51

Cœmeterium Iulij Papæ primi in Vinea ordinis Fratrum Eremitarum S. Patris Auguſtini, vbi Crucifixio Dominica quattuor clauis repræſentata conſeruatur. 48

Conſtantini Magni Victoria, Statua, & Inſcriptio ad Victoriam eiuſdem pertinens. 32. *Eiuſdem Arcus Triumphalis inſcriptione inſignitus ob triumphum per Crucem reportatum.* 32. 33

Conſtantini Magni ſimulachrum æneum mira magnitudine, atque arte antiqua manus penè viuentis inſtar expreſſum, & clauis Dominicæ Crucis inſignitum. 50

Crucis Dominicæ particula à Sergio Papa vbinam inuenta, quando, & quanta ſit. 2. 3. 4. & 5

Crucis Dominicæ particula in Baſilicâ Conſtantinianâ à Sergio Papa tranſlata cognita non fuit à militibus in excidio Vrbis; deinde à Clemente VII. in Apoſtolicum, & Va-

& Vaticanum Sacrarium tranſlata. 5
Crucis Titulus tribus linguis conſcriptus, & à dextra ad ſiniſtram legitur. 8. & 47
Crucis Dominicæ Titulus, vel potius pars tituli eiuſdem, cum Hebraicis litteris, Græcis, ac Latinis; quæ omnes à dextra in ſiniſtram leguntur. 8
Crucis Dominicæ Particulæ tres, in Baſilica ſanctæ Crucis in Hieruſalem aſſeruantur. 9
S. Crucis in Hieruſalem Romæ Reliquiæ. 9. 53
Crux S. Andreæ Apoſtoli vbinam fuerit collocata. 14
Crucis Dominicæ Lignum quanam ex arbore fuerit confectа. 17. 18
Crucis Dominicæ Particula quibuſnam imaginibus, & characteribus fuerit inſignita. 19. 20. & ſequ.
Crucis Dominicæ, ſiue Particulæ facies, in qua Chriſtus Dominus Cruci affixus repræſentatur, & quantum ad imagines, & quantum ad characteres in ea inciſi explicatur. 19
Crucis Dominicæ Particula in Baſilica ſancti Petri Sacrario à Sergio Papa, Deo reuelante, inuenta fuit, pretioſis lapidibus perornata fuit inuenta, in Baſilicā Saluatoris ab eodem tranſlata. 3. 4
Crucis Dominicæ Particula à Iuuenale Epiſcopo ad Leonem huius nominis primum cum Eulogijs miſſa. 7
Crucifixio quantum ad clauorū numerū arbitraria. 31
Crux, à cruciando dicta, inſtrumentum puniendi commune. 31
Crucis ſignum à Conſtantino Magno in Vexillum transformatum. 31. 32
Crucem nec ſilici, nec marmoribus humi poſitis inſculpere licuit ex decretis Impp. 31
Crucifixio Dominica clauis quattuor repræſentata apud antiquos. 34. 35
Crucifixiones omnium Gentiū antiquæ, arbitrariæ fuerunt, modo ſcilicet, vno, duobus, & modo tribus, & quattuor, ac pluribus, etiam duodecim clauis repræſentatæ inueniuntur. 34. 35
Crucifixio Dñica cedrino Ligno à Nicodemo, & à S. Luca repræſentata. 39. 40. & 41

Crucifixi imago Lucæ. 39. 40. 41. *Siroli aſſeruata.* 42
Crucifixi imago Siroli aſſeruata. 42
Crucifixi imago Lucæ aſſeruata. 40.41.42
Crucifixi imago ad Portam ſanctam Romæ olim repræſentata. 43
Crucifixi Lucenſis miraculum. 41
Crucifixionis Dominicæ imagines quattuor clauis in diuerſis locis repræſentatæ. 46. 47. 48. 49. 50.
Crucifixi imago argentea à Karolo Magno Baſilicæ ſancti Petri data. 44. *In eiuſdem Baſilicæ pios vſus cõuerſa.* 45
Crucifixio Dominica quattuor clauorum, tam picturis, & ſculpturis, quàm Scriptoribus antiquis, & recentioribus comprobatur. 51
Cyrillus Epiſcopus Sclauorum primus impetrauit, vt in Dalmatia illius Prouinciæ idiomate diuinum officium recitare liceret; & Scripturam ſacram in linguam Ruthenicã, vel Seruianam tranſtuliſſe cenſetur. 16

D

Deiparæ Mariæ ſemper Virginis Encomiũ. 24. 25. 30
Dominicæ Crucis Titulus triũ linguarum à dextra in ſiniſtram legendus. 8
Dominica Crucifixio quattuor clauis verè, ac propriè præſtita. 2
Dominicæ Crucis portio ineffabilis. 4. *Miræ magnitudinis.* 4. *Miraculoſè inuenta.* 5. *Eiuſdem quantitas.* ibid. *Ad S. Leonem Papam miſſa.* 7

E

Eccleſiæ fundamentum, & ſacramenta è latere Christi emanata. 22
Eccleſiæ canticum. 24. 25. 30
Eccleſiæ S. Clementis; S. Nicolai in Carcere; S. Valentini; B. Conſtantiæ; & S. Agnetis; Crucifixionis Dominicæ imagines quattuor clauis opere muſiuo repræſentatas habent. 48
Elogium B. Mariæ ſemper Virginis. 24. 25
Encomium Deiparæ Mariæ ſemper Virginis. 24. 25. 30
Eulogia, æ; Eulogium, & Elogium quid ſint. 7. 10. 11. 12. & 13.
Elogia ſunt laudes electæ, aut ſummatim collectæ. 12. 13

Flauij

F

FLauij Ioſephi teſtimonium de Hieroſolymorum Templo. 4
Fimbriæ quænam ſint. 40

G

GRaduale S.Gregorij Magni. 46
Gregorius Nazianzenus Ruthenorum patronus. 24
S.Greg. Magni Graduale. 46

H

HAereſes omnes Deipara Virgo, quomodo ſola interemerit. 25.29
Hæreſum inuentores Dæmones. 25
Hebraica lingua non habet genus neutrum. 25
Hebraicum Dictionarium Academiæ, vel Vniuerſitatis Complutenſis. 28
Helena Conſtantini Mater, qua Dominicam Crucem inuenit, vnam partem Hieroſolymæ reliquit; alteram Conſtantinopolim ad Conſtantinum; tertiam ad Baſilicam ſanctæ Crucis in Hieruſalem, Romam miſit. 9
Hieronymus ſanctus Sclauonicos characteres inueniſſe, & Scripturam ſacram in linguam Sclauonicam tranſtuliſſe cenſetur. 16

I

IESVS nominis littera ſecunda Græca quomodo Latinè ſcribi debeat. 48
Ieſus, non Iheſus, nec Ihs per abbreuiationem ſcribi debet. ibidem.
Ioannis VIII. epiſtola ad Sfentopulchrum. 16
Imagines, & Elogia in Crucis Dominicæ Particula inciſæ declarantur. 19.20.& ſequ. 23.24.& ſequ.
Ioannis VII. muſiuum in Baſilica veteri S.Petri. 43
Iuuenalis Epiſcopus Particulam Dominicæ Crucis ad Leonem primum miſit. 7.& 15

K

KAroli Magni dona Baſilicæ S.Petri Romæ data. 44. Eiuſdem Coronatio. ibidem.

L

LEntuli ad Tiberium epiſtola. 40
Lipſij Palinodia de Crucifixione Dominica quattuor clauis repræſentata, & omninò repræſentanda. 50
Luca Ciuitas in Hetruria. 40
Lucæ imago Crucifixi aſſeruata. 39.& ſequ.

Lucas

Lucas S. Apoſtoli Pauli omnis peregrinationis comes. 39
Lucas, & Nicodemus. 39

M

Maria mater Dei, & ſemper virgo, honorabilior, & verè glorioſior Cherubinis. 24. Exaltata ſuper choros Angelorũ. ibid. Quomodo cunctas hæreſes ſola interemit in vniuerſo mundo. 25. 29. Eiuſdem Encomium. 30
Mariæ ſemper Virginis Encomium. 24. 25. 30
Maxentius à Cõſtantino Magno per Crucem victus. 32
Monaſterium Chiemenſe, vbi antiquiſſima imago Crucifixi quattuor clauis cernitur repræſentata. 49
Mulieris ſemen in Geneſi commemoratum quid ſit. 26
Eiuſdem calcaneus quid itẽ ſit. 27
Muſica Eccleſiaſtica a S. Gregorio Magno reformata. 47

N

Nicodemus, & S. Lucas. 39
Nicodemus Chriſti Domini diſcipulus. 39
Nicolaus Myrenſis Ruthenorum patronus. 23
Niconus, & Sergius Martyres in Græcia celebrati. 24
Notæ compendiariæ Ligno ſacratiſſimæ Crucis Particulæ inciſæ, cur in eodem Ligno à nobis efficto non fuerint repræſentatæ. 20
Numana Ciuitas olim euerſa. 40.
Numana ciuitas. 42
Nummus vnus ex triginta argenteis, quibus venditus fuit Chriſtus Dominus in Baſilica S. Crucis in Hieruſalem aſſeruatur. 9

O

Olha prima inter Ruthenos Chriſtiana, & à ſancto Andrea Chriſti Apoſtolo baptizata. 14
Onuphrius Panuinius antiquatum beluo. 5

P

Paulus Apoſtolus cur ad dextram Chriſti Domini Cruci affixi repræſentetur. 22.
Petalum quid ſit. 4

R

Reliquiæ inſigniores, quæ in Oratorio Baſilicæ ſanctæ Crucis in Hieruſalem aſſeruantur. 8
Reliquiæ in Baſilica ſanctæ Crucis in Hieruſalem aſſeruatæ. 9. 53

Reli-

Reliquiæ inſignes in latere Crucifixi Lucenſis recondita. 41
Ruſſiæ Populi, Ruſſi, Ruſſeni, & Rutheni vocitantur. 14
Rutheni, & Seruiani litteris vtuntur fere ijſdem, quæ magnam cum Litteris Græcis habent affinitatem. 20
Ruthenorum conuerſio antiqua: Nam à ſancto Thaddæo fuerunt conuerſi, & à ſancto Bartholomæo multos articulos Fidei acceperunt. 13. 14.
Rutheni à Clemente VIII. ad communionem Sedis Apoſtolicæ fuerunt recepti. 14
Ruthenos inter & Græcos magna intercedit conſuetudo. 15.
Ruthenici characteres myſterijs pleni à multis Gentibus adhibentur; maioriq. ex parte à fonte Græco deſumpti. 15
Ruthenicum Alphabetum, cur Cyrillo tamquam inuentori adſcribatur. 16
Ruthenorum patronus Nicolaus Myrenſis. 23. & *Gregorius Nazianzenus.* 24

S

Sacramenta Eccleſiæ è latere Chriſti emanarunt. 22.
Semen ſerpentis, & mulieris in Geneſi commemoratum quid ſit. 26
Serpentis ſemen, & mulieris in Geneſi commemoratum quid ſit. 27
Sergius & Niconus martyres in Græcia celebrati. 24
Sirolum prope Anconam Oppidum. 40
Sirolum prope Numanam, & Anconam. 42
Imago Crucifixi aſſeruata. ibidem.
Sixti V. pia propenſio, eiuſdemq. Encomium. 33
Spinæ duæ illius Coronæ Chriſti Domini Cruci affixi in Baſilica ſancta Crucis in Hieruſalem aſſeruantur. 9

T

Tabula quadrata ad capitis occiput alicuius imaginis, quid olim ſignificabat. 43
Tabella Tituli ſanctiſſimæ Crucis clauis affixa. 54
Titulus Crucis Hebraicè, Græcè, ac Latinè ſcriptus, à dextra ad ſiniſtram legitur. 8. & 47

Treui-

Treuiris, ac Venetijs Crucifixio Dominica quattuor clauis repræſentata cernitur. 50
Triclauium lignum, hoc eſt, tribus clauis perforatum à Gregorio Nazianzeno fuit nuncupatum. 31
Trinitas ſanctiſſima more Græco in ipſa Dominicæ Crucis Particula repræſentatur. 20.

V

Venetijs, ac Treuiris Crucifixio Dominica quattuor clauis repræſentata cernitur. 50
Via Flaminia, & Nomentana, vbi antiquiſſima imago Crucifixi quatuor clauis cernitur repræſentata. 49
Vniuerſitatis Complutẽſis Dictionarium Hebraicum. 28

FINIS.

Regeſtum.

a b A B C D E F G H.

Omnes ſunt Duerniones.

Digitized by Google